VERS. IN LING. ANTICHE
161
A
8.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
161
A
8
NAPOLI

Digitized by Google

DAVIDIS
CARMINA
QUAE PSALMI DICUNTUR.

DAVIDIS CARMINA

QUAE PSALMI DICUNTUR

TUM CANTICA VETERIS
NOVIQUE TESTAMENTI

LATINIS VERSIBUS REDDITA
ATQUE ILLUSTRATA

OPERA AC STUDIO

PETRI ROSSI

SENENSIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

ARRETII MDCCLIX.

Typis Michaelis Bellotti Impreſſoris Epiſcop.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EM.

ILLUSTRISS.^{MO} AC REVERENDISS.^{MO} D. D.

JACOBO CAJETANO
INGHIRAMI
PATRICIO VOLATERRANO
EPISCOPO ARRETINO

SS. D. N. PRAELATO DOMESTICO PONTIF. SOLIO ASSIST. S. R. I. IN ETRURIA PRINCIPI CESAEQUE COMITI.

PETRUS ROSSI FELICITATEM.

CUm primum ex longa deliberatione, & amicorum conſilio ſtatui meas haſce lucubrationes, ad privatam umbratilemque exercitationem elaboratas, in publicam lucem emittere, haud diu, neque multum mihi cunctandum, aut dubitandum fuit,

cujus potiſſimum patrocinio eas conſecrarem? TU *enim,* PRAESUL AMPLISSIME, *ſtatim mihi occurriſti, cujus in fidem ac clientelam ſi & illas, & me adeo ipſum committerem, optime mihi rebuſque meis conſultum exiſtimarem. Neque eam mihi mentem injecit communis quaedam ac pervulgata ratio in iis poſita fortunae, aut animi bonis, quae excellentem Virum, ac Patronum maxime expetendum efficiunt, quaeque in* TE *quidem ſumma eſſe video Non mihi ante oculos obverſabatur aut ſplendor Domus Tuae praeclariſſimus, quae inter primarias Patriae Tuae ac vetuſtiſſimas merito recenſetur, Viroſque tum doctrina, tum honoribus, tum rebus domi bellique geſtis praeſtantiſſimos protulit, aut Virtus Tua, graviſſimis teſtata judiciis, non ſolum cum poſt Volaterrani Epiſcopi obitum Vicarius Capitularis, quem vocant, communibus ſuffragiis es dictus, verum etiam cum in eodem Epiſcopatu Vicarii Apoſtolici munere totum decennium ſumma cum laude, ac bonorum approbatione functus es. Optime ſane mihi perſpectum erat (cui autem non erat?) ad*

Epi-

Epiſcopalem poſtmodum Arretii ſedem evectus, qua integritate, qua innocentia, quanta porro juſtitia, gravitate, prudentia difficillimam lateque patentem provinciam adminiſtrares. Quotidianae paene literae in tanta locorum vicinitate perferuntur, famaque longe lateque traducta, atque ubique pervulgata ad nos defert, quanta de Te *ſit omnium civium exiſtimatio, quantus omnium ordinum in* Te *amor, quanta totius Civitatis in* Te *colendo obſervandoque, & quam mirifica conſenſio, juſta ſcilicet opinione virtutis, rebus optime ac ſanctiſſime geſtis, perpetuo ſingulis benefaciendi ſtudio, humanitate vero tam ſingulari, ut cum omnes dignitate antecellas, facilitate par infimis videaris. Quis* Te *pacis concordiaeque conſtituendae ſtudioſior, quis in pietate ac religione tuenda, atque amplificanda diligentior, quis in univerſo Grege ad ſanctiſſimam, hoc eſt ad Paſtoris diſciplinam inſtituendo accuratior? In quo tamen non aſperitate illa ad exulcerandos potius animos, quam ad emendandos idonea, ſed ſuavitate iſta Tua, a qua* Te *vel minimum diſce-*

dere Tua ipſa natura non ſinit, ſemper uteris, & neceſſariae interdum objurgationis acerbitatem vocis ac vultus lenitate condire ſoles, qua quidem, nullum ferme eſt tam ferum atque agreſte ingenium, quod non ſe molliri ac flecti patiatur. Nihil dico de Tua in pauperes liberalitate, atque in eos potiſſimum, quos in publicum prodire, ſuarumque calamitatum oſtentationem pro quaeſtu habere ingenuus vetat pudor. Mitto doctrinae ac ſapientiae ſtudium ſingulare, quo non ſolum ad omnem eruditionem mirifice excultus es, verum etiam literas omnes, & literarum amatores impenſe diligis ac foves; ſileo caeteras virtutes Tuas, illo Euripidis in Iphigenia dicto monitus:

„ Viri enim probi, laudes ubi audiunt ſuas,
„ Quodam ſolent odiſſe laudantem modo,
„ Si fors quis ipſos laudet immoderatius.

Non ea mihi ad gratiam abs Te *ineundam affectanda eſt via, neque his ego momentis*

impul-

impulſus ſum, ut meas Tibi ſcriptiones dicatas velim. Illud me unice perpulit, quod cum de iis edendis haeſitarem incertus ac cunctabundus, meaeque conſcius imbecillitatis hominum judicium vehementius formidarem, Tu *hortator atque auctor acceſſiſti, qui dubitantem ac timidum confirmares, & ad ſubeundam hanc aleam Tua auctoritate permoveres. Tuae ſunt illae voces ex D. Franciſci Saleſii, cujus* Tu *& expreſſam vitae imaginem, & orationis ſuavitatem ſimillimam refers, ſenſu depromptae, & ad me perſcriptae, quibus pro Tua comitate mihi gratularis, quod in hac Pſalmorum verſione Paganas Muſas in Chriſtianas transformaverim, eaſque a vetere illo profanoque Parnaſſo abductas, in ſacra Calvarii Montis juga tranſtulerim. Feci ego quidem ſedulo, quod in me fuit; ſed ut illae, quemadmodum dignitatem nactae ſunt novam, ſic veterem venuſtatem retinerent, ne ſperandum quidem erat. Utcunque res ceſſerit, ſatius profecto eſt, eas incomptiores prodire, quam laſciviores. Tuum quoque eſt illud oraculum, Poeſim, ſi recte atque or-*

dine

dine tractetur, vitae bene inſtituendae normam eſſe, atque eam praecipue, in quam ego induſtriam contuli meam, tum pro ſantiſſimis, in quibus verſatur, argumentis, tum pro Divino illo ac veraciſſimo Spiritu, cujus inſtinctu afflatuque fuſa ac dictata fuit, quique unus Chriſtianae vitae morumque magiſter ac rector eſt. Cumque ego adoleſcentibus praecipue Eccleſiae miniſterio mancipatis hanc operam dicaverim, quo ad Pſalmos, quos manu quotidie ſunt verſaturi, & legendos allicerentur, & intelligendos deducerentur, Tuum conſilium oſtendiſti, ut mea haec Carmina, qualiacunque ea ſint, e ſanctiſſimo certe fonte derivata, & Davidico ſpiritu plena, ſtudioſis juvenibus, quos in Tuo Seminario in Eccleſiae ſpem diligentiſſime alis, & non minus ad omnem humanitatem, quam ad religioſam diſciplinam informas, lectitanda proponeres, quod quidem utrum expediat, non meum eſt judicare, ne quid de me ſentire videar arrogantius, ſed judicio Tuo integrum reſervo. Quod ad rem pertinet meam, hiſce ego tot tantiſque cauſis adductus, cum mihi Patro-

nun

num quaererem, non ad TE *recta pergerem, atque hoc meum opuſculum cuiquam potius, quam Tibi commendarem? Non mediocriter ſane cum incredibili Animi Tui modeſtia luctandum mihi fuit, quod* TU *operis quidem edendi auctor eſſes, operamque ea in re Tuam pollicereris, ſed alium mihi Patronum adoptandum ſuaderes, & meritorum ſplendore, & nominis celebritate, ut Ipſe ajebas, praeſtantiorem. Sed quo vehementius me a ſuſcepto conſilio deterrere nitebaris, eo mihi animus accendebatur magis, ut non aliunde mihi praeſidium quaererem, aut auſpicium, quam a tanta virtute, quae ex illa moderatione ſpectatior fieret, ac probatior. Quid enim mihi optandum magis, quam ut ad eum Virum me conferrem, eique me traderem, qui tantis praeditus ornamentis, atque in tam conſpicua Eccleſiae, ac totius Etruriae vetuſtiſſima Dignitate collocatus, tenuitatem meam ſua exiſtimatione ſuſtentaret? Ego vero nihil mihi arbitror accidere potuiſſe, opportunius, quam ut, quando haec mea eſſem evulgaturus,* TU *mihi Divino quodam munere obla-*

tus eſſes, a quo meam & voluntatem, & induſtriam non improbandam, neque repudiandam, ſed benigne excipiendam, & patrocinio protegendam confiderem. Quod ut facias, non multum mihi laborandum eſſe video, cum & quo animo ſis, & ut in me ſis animatus, ſatis certo compertum habeam.

PRAEFATIO.

RApuit me ſemper, ac mirifice delectavit Hebraicae Poeſeos nobilis indoles, ingeniumque magnificum, ſpirituſque ille vehemens, atque incitatus, qui, etſi ſub alieno ac ferventiore caelo natus, noſtris auribus minus interdum accommodatus, ac paulo fortaſſe intemperantior videtur, tamen non ſolum animos incredibiliter afficit, & in quoslibet motus magna vi pertrahit, in quo voluptas maxima ſita eſt, verum etiam ſupra mortalia omnia, atque adeo ſupra ſe ipſos legentes abripit, & ad Caeleſtia, certamque Dei praeſenſionem erigit, in quo Divina quaedam vis planiſſime perſpicitur, ac veluti ſenſu comprehenditur. Equidem quid alii ſentiant, ignoro, ad me quod attinet, nihil mihi vel in cogitationibus ſublimius, vel in dictionibus gravius, vel in imaginibus expreſſius, vel in varietate jucundius, vel in animis permovendis vehementius fingi, aut cogitari poſſe videtur, ut quod profani poetae ſibi temere ſumpſerunt, atque arrogarunt,

(1) *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo;*
Impetus hic ſacrae ſemina mentis habet,

(1) Ovid. Faſt. 6.

id Divinis Vatibus merito ac jure tribuendum nemo non ſanus exiſtimet. Atque utinam illius linguae vim atque robur, utinam grandes loquendi formulas, ac plena ſententiis vocabula, utinam non fucatam ſimplicitatem, nativos lepores, Divinam plane majeſtatem, utinam etiam poeticos numeros, eumque qui non ad delectationem modo, ſed ad motum quoque animorum plurimum valet, verſuum concentum perſentire ac pernoſcere poſſemus! Nihil profecto, ut ego opinor, ad praeſtantiſſimae, abſolutaeque poeſeos ſpeciem atque exemplar deſideraremus. Cujus rei illud argumento eſt, quod quamvis plurima nobis obſcuriſſima occurrant, maximeque perplexa, tamen ex iis, quae vel perſpicua nobis ſunt, vel per illa involucra, atque integumenta intentiore acie deprehendi poſſunt, quaſi quidam ſolis radii mediis in nubibus interlucentes, quanta, Deus immortalis, mentibus noſtris voluptas influit, quanta rerum magnitudo oculis obverſatur, quanta vi nos cieri, ac commoveri ſentimus, quam grandia omnia, quam ſublimia, quam pulchra, quam mira proſpicimus! Sed ne de univerſo illo genere loquar, cum praeſertim incertum ſit, qui libri numeris ſint aſtricti, qui ſoluti, aliis alia opinantibus, ad ſola Davidis carmina, quae *Pſalmi* vocantur, orationem contraho meam, quae metro ſcripta eſſe, ambigit nemo, quamvis qua metrica lege, quibus numeris moduliſque, ignotum penitus ſit. In hiſce vero Canticis mirum quanta ubique ſplendeſcat poeticae facultatis vis, quam magnificum locutionis genus, quae rerum

ima-

imagines affabre depictae, quae ſimilium concinna elegantia, quod ſententiarum pondus, quae verborum efficacitas, quam audaces in ardua volatus, quam inopinatae planeque lyricae ad alia tranſgreſſiones, quae ad mores recte componendos non inanis philoſophiae, ſed Caeleſtis ſapientiae praecepta, quam ad pios animorum motus ciendos apta omnia, atque accommodata, quanta demum ubique Divinitatis fides! Affirmare auſim, quae in Poetis lyricis omnibus tum Graecis, tum Latinis ſparſa admiramur lumina egregiaſque virtutes, univerſa in hunc plane Divinum Poetam collecta ſimul ac congregata confluere, ut merito a D. Hieronymo appellatus ſit *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcaeus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus*. Quin etiam, ſi, quod ego mente conceptum habeo, mihi liceat efferre, equidem ita exiſtimo, nullum nec Graecum, nec Latinum poetam lyricum cum hoc noſtro eſſe comparandum. Cum Davidem attentius lego, cum intima ejus ſenſa, quoad ejus facere poſſum, mecum animo meditor, cum vividum illum carminis ſpiritum, ſacrumque furorem admiror, languet mihi Horatius, vileſcit Ovidius, ineptit Catullus, jacet Alcaeus, ruit Pidarus, friget Anacreon, nec fere quiſquam eſt, qui me ita afficiat, moveat, impellat, ſicuti David. Celebres illi, ac ſupra caeteros mortales praeſtantiſſimi viri, ſiquid de Deo immortali, ejuſque magnitudine ac potentia praedicare altius voluerunt, nihil ferme amplius dicere, nihil auguſtius nobis ingerere, atque inculcare noverunt, quam

ut

ut Illum Caeleſtium domorum incolam ac regnatorem, fulminum tonitruumque dominum ac moderatorem oſtenderent, & tunc demum ſummam ejus majeſtatem potentiamque verbis ſatis expreſſiſſe ſibi viderentur, cum dicerent:

(1) *Caelo tonantem credidimus Jovem*
Regnare . . . .
(2) *Annuit, & totum nutu tremefecit olympum;*
(3) *Terrificam capitis concuſſit terque quaterque*
Caeſariem, cum qua terram, mare, ſydera movit;
(4) *Ille Pater rectorque Deum, cui Dextra triſulcis*
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem;
(5) *. . . . . Rector Olympi*
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra;
(6) *At quem Deum! Qui templa caeli ſumma ſonitu concutit.*

Quanto ſublimius noſter!

(7) *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia;*
(8) *Initio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt caeli;*
(9) *Tui ſunt caeli, & tua eſt terra, orbem terrae & plenitudinem ejus tu fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti;*
(10) *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram, & ſolem;*
(11) *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt;*

(1) Hor. Carm. L. 1. Od. 5. (2) Vir. Aen. L. 9. (3) Ovid. Met. L. 1. (4) Id. Met. L. 3. (5) Id. Met. L. 2. (6) Terent. Eun. Act. 3. Sc. 5. (7) Pſal. 28. (8) Pſal. 101. (9) Pſal. 88. (10) Pſal. 73. (11) Pſal. 148.

(1) *Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae, & timuerunt, & turbatae ſunt abyſſi;*
(2) *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant;*
(3) *Inclinavit caelos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus.*

Quid ad hominis imbecillitatem ſignificandam expreſſius?

(4) *Homo vanitati ſimilis factus eſt;*
(5) *In imagine pertranſit homo;*
(6) *Sepulchra eorum domus illorum in aeternum;*
(7) *Tranſivi, & ecce non erat, quaeſivi eum, & non eſt inventus locus ejus;*

Atque alia hujuſmodi ſexcenta, quae ſi colligere velim, totum paene librum excribere neceſſe ſit. Quid his ſimile in aliis occurrit? Quid autem, niſi futilia tractant, ac nequid gravius dicam, plane inania, atque omnis frugis expertia? Miſeret me tui, M. Flacce, cum te video (at qualem virum!) tam ſaepe vina, convivia, libidines, & quod fortaſſe multo deterius eſt, peſtilentiſſimos e media Epicuri diſciplina errores, & ad corrumpendos pravis opinionibus animos perniciosiſſimos tuis carminibus, & iis quidem cultiſſimis, elegantiſſimis, ac ſuaviſſimis inſerere; tum ſi quando aſſurgis, laudo quidem felices conatus, magnumque canendi ſpiritum, atque ingenium ad-

 mi-

(1) Pſal. 76. (2) Pſal. 103. (3) Pſal. 17. (4) Pſal. 143. (5) Pſal. 38. (6) Pſal. 48. (7) Pſal. 36.

miror, ſed nihil certe ad Vatis noſtri magnificentiam, ſublimitatem, ſapientiam, nobilitatem. Pudet me veſtri, Catulle, Tibulle, Properti, P. Naſo, cum nihil ferme apud vos lego, niſi inſanos amores, proſtitutarum muliercularum inſulſas laudes, flagitiorum etiam veſtrorum impudentiſſimas praedicationes, omnia denique ad emolliendos, atque effaeminandos animos pertinentia, nihil ferme frugiferum, nihil ſalubre, nihil decorum, nihil ingenuo atque honeſto homine dignum, ut miſeranda mihi interdum videri ſoleat infirmioris aetatis conditio, cujus teneris adhuc animis, ad omnia quidem, ſed praeſertim ad deteriora quaeque arripienda facillimis, & ad vitia maxime proclivibus planeque cereis, talia ſcelerum irritamenta ad eruditionem obtruduntur, unde plus fortaſſe periculi, quam utilitatis exiſtat, & praeclare cum iis agatur, qui venuſta verba, concinnaſque locutiones aucupentur, *& verſus inopes rerum, nugaſque canoras*, ad inanem ſane delectationem appoſitas, ad ſolidam utilitatem certe ineptiſſimas. Niſi quis forte uberes inde fructus percipi poſſe eo contendat, quod de Heroibus, atque adeo de Diis tam indigna, tam indecora, tam turpia mentiuntur, quod odioſas putidaſque, ac ſaepe impias aſſentationes affectant, quod monſtroſis abſurdiſque commentis veritatem implicant atque obſcurant, quod demum, ſiqua interdum bona ac ſalutaria tradunt vitae praecepta, ea multo pluribus miſcent vitiorum illecebris, & lenociniis cupiditatum. Cum autem ab ipſomet Horatio (1) praeceptum ſit

(1) In Arte.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetae,
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitae

non video, quis duplici hoc munere cumulatius perfunctus ſit, quam regius hic noſter Poeta, in quem profecto, ſiquem in alium, illud convenit:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci (1).

Et quidem ad delectationem quod attinet, praeter ea quae ſuperius delibavi, quanta in ſingulis *Pſalmis* varietas, quae in quibuſdam ſublimitas, quae in aliis amoenitas, in aliis ſuavitas, quam miſerabiliter aliqui, alii quam molliter, permulti quam graviter ſcripti ſunt; quanta vero in aliquibus eruditio, & totius fere Hebraicae hiſtoriae doctrina, ut non immerito dixerit Athanaſius, quaecunque in ſingulis aliis libris traduntur, ea in *Pſalmis* contineri! Quantae hinc porro utilitates ad Dei juſtitiam, clementiam, fidelitatem, providentiam, beneficentiam, quantum homini licet, cognoſcendam, ad mores caſtigandos, ad vitam recte inſtituendam, ad creata omnia bona parvi pendenda, ad ſempiterna expetenda, ad ſpem non in humanis opibus, ſed in Divino auxilio, atque in innocentia collocandam, demum ad vitium omne facinuſque vitandum, & ad virtutem colendam, qua praemii, qua poenae magnitudine propoſita, ex uberrimo quaſi

 ſon-

(1) Ibi.

fonte dimanant? Quot hic, & quam praeclarae Dei tum laudandi, tum orandi, tum quaecunque uſui ſunt, poſtulandi, tum pro acceptis gratias agendi formulae ſuppetunt! Quam piae excitantur animi commotiones affectioneſque, ut ſpes erigitur, ut timor incutitur, ut Dei amor accenditur, ut mentis tumor deprimitur, ut malefactorum odium horrorque commovetur, ut pacis, charitatis, beneficentiae, miſericordiae ſtudium intenditur! Unum mihi ejus rei teſtem eſſe volo, ſed eum graviſſimum atque locupletiſſimum Auguſtinum (1), qui, quamvis ſua illa ſcientia adhuc turgidus, qua Scripturas ſanctas, quaſi humiles, contempſerat, quamvis in germano Dei amore, ut ipſe ait, adhuc rudis, quamvis *Cathecumenus*, cum *Pſalmos* attigit: *Quas tibi*, inquit, *voces dabam in Pſalmis illis, & quomodo in Te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, ſi poſſem, toto orbe terrarum adverſus typhum generis humani*! Quis vero ad Chriſtianam veritatem Religionemque confirmandam plus affert momenti, quam noſter, qui futuram humani generis reparationem, Servatoris noſtri adventum, cruciatus fere ſingulos, ad vitam denique reditum, ac triumphalem in caelum aſcenſum, tam diſtincte explicateque praenunciat, ut rem geſtam ſcribere potius, quam futuram vaticinari videatur. Quamobrem Apoſtoli atque ipſe Chriſtus ad ea, quae docerent, ſtabilienda ex alio libro fere nullo frequentiora argumenta ac teſtimonia mutuati ſunt. Primus David, ſi Euſebio (2) credimus, &

futu-

(1) Conf. L. 9. C. 4. (2) Epiſt. 140.

futuram ἀνάϛασιν, & extremum judicium, & ſempiternae vitae promiſſionem aperte docuit, cum nihil horum Moſes tradiderit. Veterum porro Sacrificiorum abrogationem, novae Eccleſiae conſtitutionem, propagationemque mirificam, gentium a ſuperſtitioſo profanoque ad verum ſanctumque Dei cultum vocationem, commentiorum Numinum impiam vanitatem quis luculentius exequitur, & ipſis quaſi oculis ſubjicit? Fragilem falſamque improborum felicitatem, parata peccantibus ſupplicia, ſuſceptam a Deo innocentiae curam, defenſionem, vindictam quis aut gravius, aut dilucidius exponit? Ut breviter dicam, *Liber hic unus*, teſte Auguſtino (1), *communis quidam doctrinae theſaurus eſt, aperte ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans*. In angore animi ac dejectione, in certaminibus, in periculis, in perturbationibus, in calamitatibus, quibus vita impetitur atque exagitatur, hinc ſolatium, hinc gaudium, hinc robur, hinc praeſidium, hinc quies, hinc levamentum & certiſſime petitur, & affatim ſuppeditatur, ut merito ſcripſerit Ambroſius: *In Libro Pſalmorum profectus eſt omnium, & medicina quaedam ſalutis humanae*; Ac demum ita ſermonem concluſerit: *In Pſalmo certat doctrina cum gratia, ſimul cantatur ad delectationem, diſcitur ad eruditionem*. Inde tantae in Divinum hunc Librum laudes paſſim a Sanctis Patribus congeruntur, Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio Magno, Hieronymo, Caſſiodoro; Inde veteri more comparatum erat,

(1) Praef. in Pſal.

ut Chriſtiani non viri ſolum, ſed & mulieres *Pſalmos* in Eccleſia, in aedibus, in menſa, in itinere, in agro, in ipſo opere cantitarent; Inde omnibus Eccleſiae miniſterio mancipatis lex erat, ut *Pſalmos* omnes memoriter addiſcerent, caeteris fere omnibus conſuetudo, ut ſaltem aliquos ex memoria recitarent, iiſque cum naſcentem diem auſpicarentur, tum cadentem concluderent. Tot jam exactis ſaeculis ab ipſis uſque naſcentis Eccleſiae incunabulis mos hic conſtantiſſime retentus eſt, perpetuoque retinebitur, ut *Pſalmi* in ſacris conventibus diu noctuque canantur, neque alius in Divina Scriptura liber eſt, qui in privatis publiciſque precationibus paſſim ab Eccleſia proponatur, quam is, de quo loquimur; unde magnos in hominum animis fructus atque emolumenta provenire poſſe, ſatis intelligit. Obeſt ſane non nihil obſcuritas ex ignoti exoticique ſermonis in alium longe diſſimilem religioſa fortaſſe nimis, ſed minime reprehendenda translatione magnam partem profecta. Sed haec Divinis rebus circumfuſa caligo quandam animis noſtris religionem objiciat neceſſe eſt, qua ad abdita myſteria perveſtiganda trepidi nobiſque diffidentes accedamus, rati magnum aliquid atque humano auguſtius eſſe, quod deliteſcit, ſacro veluti quodam velamine obvolutum. Id vero non torporem nobis ex deſperatione afferre debet, ignorantiamque fovere, ſed diligentiam potius acuere, & intelligendi appetitionem excitare, ut Divino ſcilicet monito obtemperemus, in *Pſalmis* ipſis ſaepius iterato, & Deuteronomii cap.

6. Ion-

6. longe ante ſcripto : *Erunt verba haec in corde tuo , & narrabis ea filiis tuis , & meditaberis in eis ſedens in domo tua , & ambulans in itinere , dormiens atque conſurgens &c.* ; Quod ad nos quoque , non ad Hebraeos ſolum pertinere , teſtis eſt locupletiſſimus Joannes (1) , immo Chriſtus ipſe Dominus , cujus eſt illud : *Scrutamini Scripturas*. An ego in Horatii, Perſii, Juvenalis, aliorumque poetarum obſcuriſſimis locis enucleandis tantopere ingenium torqueam , interpretes conſulam, fabulis, hiſtoriis, unde ea lucem accipiant , inſudem, ut ſenſa indidem abſtruſa expromam, ac velut extundam, quibus demum deprehenſis , nihil admodum , aut certe non multum vel ad eruditionem, vel ad vitae utilitatem proficiam, ut vero theſauros longe ditiſſimos in Sacris Libris alte reconditos defodiam, quibus animus mirifice ornetur atque inſtruatur , & ad beatam immortalemque vitam comparetur , nihil laborem ? Num deſunt ad eam rem propoſita omnibus adjumenta , a Sanctis Patribus, doctiſſimiſque ſcriptoribus comparata, quibus Deus Opt. Max. noſtrae imbecillitati abunde conſultum voluit , ſi modo ejus conſcientia dejecti , & ab omni arrogantia remoti ſupernae Lucis opem impenſis precibus imploremus ? Et quidem cum nihil frequentius aut in ore habeamus, aut manibus verſemus, aut auribus accipiamus, quam ſacras Davidis cantilenas , quam turpe atque indecorum ſit , Viro praeſertim Eccleſiae ſacris initiato , eas non percipere , & voce tantum ac

 cor-

(1) Jo. 5. 39.

corporis ſenſibus uſurpare, quid vero ſapiant, aut omnino quid dicant, nihil ferme aſſequi!. At vulgatum eſt illud Apoſtoli (1): *Si orem lingua, ſpiritus meus* (id eſt oris mei flatus) *orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ego quidem, ut mihi conſulerem, operae pretium me facturum exiſtimavi, ſi in ſacra haec adyta timidum pedem ac trepidantem inferrem, &, duce aliquo praeeunte, abdita in iis Myſteria, ſi non penitus introſpicerem, at aliquantum attingerem, ac velut a limine ſalutarem. Ducem autem ex multis mihi delegi Ven. Robertum Card. Bellarminum, cum quod eum litterae, cui potiſſimum, ne dicam unice, inhaerere mihi propoſitum eſt, reperi curioſiorem, cujus ſententiam Graecae atque Hebraicae linguae praeſidio diligentiſſime expiſcatur, vulgatamque lectionem & ſanctiſſime retinet, & tuetur acerrime, & explicare nititur per quam ſtudioſe, tum quod quaecunque Greci, vel Latini Patres antea ſcripſerant, is ſummatim in ſuos commentarios aſcivit. Hunc itaque fere interpretem adhibui, a quo tamen non ſemel diſcedere, nulli mihi religioni duxi, cum aliorum interpretatio planior, aut ad Auctoris mentem accommodatior viſa eſt. Vulgatam porro Scripturae editionem religioſiſſime ſecutus, ne latum quidem unguem ab ea excedendum putavi, & ſiquando Graeca, aut Hebraea volumina ſubſidio advocavi, id tum feci dumtaxat, cum illa noſtrae lucem aliquam affer-

(1) 1. Cor. 14. 15.

afferrent, & quod in hac obſcurius erat, dilucidius explicarent. Sententiis quidem, imo interdum & verbis quae altiorem quandam ſignificationem continerent, quoad licuit, inhaeſi atque inſtiti, in quo Georgium Buchananum Scotum, magnum illum ſane poetam, ſed noſtrae Religioni parum faventem, ne dicam, ab ea prorſus alienum, & ex fontibus minus integris ſuas non ſemel interpretationes haurientem, paulo oſcitantiorem fuiſſe animadverti, qui ut ſuo ingenio & poeticae venuſtati indulgeret, multa, quae Myſterio non carent, praetermiſit, vel in alienum ſenſum detorſit, extraneas verſiones, explicationeſque ſuſpicioſas identidem ſecutus eſt, fecit denique, ut magis bonus poeta, quam fidus interpres videretur. Ejus carmina vidi equidem poſtquam mea abſolviſſem, neque me incepti poenituit, non de ingenii laude certantem, in quo ei libenter concedo, ſed ſyncerae germanaeque intelligentiae ſtudioſum, de qua me vehementius laboraſſe profiteor. Vario autem carminum genere, quod & hic factitaverat, uti decrevi, quod ita Pſalmos a Davide conſcriptos eſſe, me docuit Bellarminus, qua in re & Horatium, & Tibullum, & Propertium, & Ovidium imitari contendi, quoad licuit per longam viginti amplius annorum deſuetudinem, quo tempore meae me vitae rationes paene omnino ab hiſce ſtudiis avocarunt. Nam Catullum non prorſus illum quidem neglexi, praeſertim in aliquibus Phaleuciis, quo ſane in genere, ut dicam quod ſentio, eum probavi ſemper, ut quem ma-

 xime,

xime, cum ipſe ingenium ibi praecipue exercuerit ſuum, credo, quod in eo ſe plurimum valere ſentiret, illumque iccirco & omnes deinceps boni poetae imitati ſunt, & ego unicum ad imitandum libentiſſime propoſuerim, ſiquis modo ſpurcitias illas, ſordeſque, quibus ſcatet, eluere, & tanquam Augiae ſtabulum, purgare poſſit, caeterum in elegiacis non item. Miror ſane quam & in his dictionis nitorem, elegantiam venuſtatem aureo illo ſaeculo dignam, affectus quoque identidem in loco erumpentes, eoſque tam teneros, tam molles, tam delicatos, ut nihil ſupra; Sed illam verſuum aſperitatem, pentametros praeſertim ſaepe harmoniae omnis expertes, neque apta concinnaque pedum compoſitione ſuaviter cadentes, neque ſententiam integram, aut ejus partem concludentes, ut pleriſque aliis in uſu eſt, ſed cum ſequentibus verſibus implicatos, quod heroicis convenire melius videtur, probare certe non poſſum. Ille quidem hoc fecit ad exemplum Graecorum, apud quos video ita in uſu poſitum fuiſſe, quod fortaſſe id eorum auribus, ob peculiarem ipſorum, nobiſque ignotam pronunciandi rationem, jucundum accideret. Sed fecit vel Graecos ipſos latine vertens, eorumque verbis atque adeo numeris ſerviens, vel epiſtolam potius ſcribens, quam Elegiam concinnans, vel certe ita pauculas condidit Elegias, ut ipſe non ſe id agere ac profiteri, vel hoc indicio ſatis prodat. Epigrammata porro ita compoſuit, ut ſale illo ac dicacitate contentus, numeros neglexiſſe videatur. Quid

quod

quod eo tempore ſcripſit, quo Latina poeſis a Graecis non ita pridem nata, & nondum ſatis perpolita Graecam indolem etiam apud Latinos magna ex parte ſervaret, ſicuti quaſdam primaevae ruditatis reliquias in verbis aliquot retinebat. Sed paulo poſt felici Auguſti aetate, cum non modo ad quandam maturitatem perducta eſſet, ſed a ſummis Poetis, quorum tum magnus proventus extitit, ad ſupremum dignitatis faſtigium evecta; tum vero omnem exuit aſperitatem, & quaſi ſui juris effecta, ac dominatrix Graecanicae ſervitutis jugum excuſſit. Tunc Tibullus, Propertius, Ovidius, Albinovanus ſuaviores verſus, ſuiſque auribus, hoc eſt politioribus magis modulatos atque conſonantiores excogitarunt; Quanquam Propertium id ſerius factitaſſe video, vigente ſcilicet adhuc Graecorum imitatione deceptum, & ad eos primo libro, & primis in elegiis propius acceſſiſſe; ſed mox vel aliorum Latinorum exemplo, vel ſuarummet aurium judicio edoctum, ſententiam mutaſſe, & carmina ſua ad venuſtiores numeros compoſuiſſe. Quos qui deinde ſunt conſecuti, quorum quidem aliquo in pretio opera habentur, in verſibus modulandis fere omnes imitati ſunt, & praeſertim ſaeculo decimo ſexto, quod ego Auguſtaeo proximum judico, Sannazarius, Pontanus, Bembus, Naugerius, Flaminius, Strozza Pater, & Filius, aliique nonnulli elegantiſſimi poetae, & cum veteribus comparandi. Eorum plerique Tibulli venuſtatem atque elegantiam, alii Ovidii facilitatem, alii Propertii majeſtatem ſibi propo-

ſuerunt, & feliciſſime ſunt aſſecuti, ac ſiquis interdum Catullum eſt imitatus, id fecit in una aliqua elegia ſimilis argumenti, experiendi cauſa, quid in eo quoque genere poſſet, & ita tamen fecit, ut Catulli mollitiem, facilitatem, munditiem, venuſtatem, non aſperitatem conſectaretur. Verum ſuum quiſque judicium ſequatur; Nolo enim cum quopiam de re leviſſima contendere, nec ſane repugno, quin vir ſatis doctus ac ſolers Catullum imitetur, cujus certe virtutes omnes exprimere ſtudebit, ac fortaſſe poterit. Sed eum proponendum adoleſcentibus, ut elegorum exemplar, id vero minime adduci poſſum, ut aſſentiar. Magnum quippe ſubeſſe video periculum, ne tum ob inertiam, & in verſibus apte componendis laboris intolerantiam, tum *quoniam* (Quintiliani (1) verbis utor) *accidit iis, qui quicquid apud magnos viros repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia illorum conſequantur*, ii quoque perverſi imitatores, neque judicio utentes ſatis firmo, omiſſis iis, quae in Catullo ſumma ſunt, tum denique ſe illi ſimillimos arbitrentur, cum ſuos verſus ad illum conformaverint

Quam modo, qui me unum, atque unicum amicum habuit

vel ad illum

Haec atque illa dies, atque alia atque alia.

Idem

(1) Inſt. L. 10. C. 2.

Idem propémodum dixerim de Lucretii imitatione boni ſane Latinitatis auctoris, ſed in poeticis & numeris effingendis, & loquendi rationibus deligendis aut parum felicis, aut non ſatis curioſi. Ac de numeris quidem non immerito ſcripſit Nobilis Criticus (1), Lucretium hanc verſuum numeroſam ſuavitatem adumbraſſe ſolummodo, ac pingui Minerva delineaſſe, quam poſtmodo Virgilius expolivit atque perfecit. Sed ea venia danda eſt Poetae ea tempeſtate ſcribenti, qua Homericam illam harmoniam nondum ſatis Latini perſenſiſſent, cujus vix veſtigium aliquod apud Ennium reperias. Argumentum ipſum aridum per ſeſe ac ſpinoſum, explicatuque perdifficile, nec a quoquam Latino tentatum adhuc, plurimum ad excuſationem valet. At poſtquam Virgilius ſtylum illum mediocrem, & ad *διδαςκαλίαν* apprime factum in Georgicis tam feliciter uſurpavit, quid aliis in ejuſmodi argumentis etiam philophicis faciendum eſſet, praeſcripſit, & homines doctiſſimi Fracaſtorius, Vida, Angelius, Rapinus Virgilianam illam rationem ſumma cum laude imitati ſunt. Atque equidem idem de Lucretio exiſtimo, quod de Lucilio Horatius (2) judicavit:

Si foret hoc noſtrum fato dilatus in aevum,
Detereret ſibi multa . . . .
. . . . & in verſu faciendo
Saepe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

Ad poeticam autem dictionem quod attinet, ut Quintiliani (3) judicium omittam, Lucretium cum lego,

(1) P. Rap. (2) Hor. L. 1. Sat. 10. (3) Inſt. L. 10. C. 1.

lego, video ſane Philoſophum acute ratiocinantem, miror etiam, ſi lubet, res difficillimas verſibus comprehendentem, Poetam vero plerumque non video, ſiquidem verum ſcripſerit Horatius (1)

. . . . Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis, neque ſiquis ſcribat, uti nos
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poetam.

Sed & illud accedit, quod is latine admodum loquitur quidem, ut qui optimo ſaeculo floruerit, ſed quemadmodum Cicero in Bruto advertit, aetatem ſuae proximam nondum ſatis bene fuiſſe locutam, ita is qui in eam ipſam aetatem incidit, plurimum adhuc retinet primaevae illius atque horridulae ruditatis, quam Naevius, Accius, Pacuvius, Plautus, Ennius, aliique veteres praeſeferunt, quam Cicero ipſe ſe improbare oſtendit item in Bruto, quam Caeſar, ut idem Cicero refert, pura & incorrupta conſuetudine emendabat, quam denique Horatius (2) carpit iis verſibus:

Si quaedam nimis antique, ſi pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa fatetur,
Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat aequo.

Poſtquam autem eas antiquitatis reliquias Virgilius, ejuſque coetanei Poetae penitus deterſerunt, quid opus eſt in tanta Latini ſermonis ubertate, nitore, elegantia, venuſtate, ad illa reverti, quae

(1) L. 1. Satyr. 4. (2) Epiſt. L. 2. Ep. 1.

quae Q. Sectanus (1) ſatyrice perſtringit, *Mucida fruſta Lucretj?* Hoc qui faciat, perinde facere videatur, ac qui in Heroicis poſt Divinam Aeneida ad Ennii imitationem ſe conferat. Feratur ſane Lucretius, quem aetatis ſuffragatio tuetur, quod hanc primus omnium viam ingreſſus eſt, ut ipſe inculcat iiſdem verſibus 1. & 4. L. repetitis:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo;

Aliquid concedatur ſuſceptae ſcriptionis difficultati, ut initio poſtulare ipſe videtur:

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe,
Multa novis verbis praeſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguae, & rerum novitatem;

Liceat illi per me etiam duriuſculis incultiſque verſibus, ac ſermoni proximis uti, cum nondum Poeſis ſatis exculta ac perpolita eſſet; Quare ipſe M. Tullius, qui ab ejus aetate non ita diſtat, quique alioquin, ut tum tempora erant, bonus poeta habebatur, poeticam laudem, quam initio fuerat conſecutus, eam fere omnem, Virgilio exorto, amiſit, ejuſque poemata ſatyrice nimis *Ridenda* appellavit Juvenalis (2). Utrum autem eadem venia danda ſit quibuſdam Lucretii imitatoribus, Latina lingua a conſequentibus ſcri-

ptori-

(1) Sat. 2. (2) Sat. 10.

ptoribus tantopere aucta ac locupletata, & poeſi jam ſatis ſuperque expolita, atque omni ex parte perfecta, neque ſcio, neque judicare queo, neque, ſi poſſim, quicquam pronunciare auſim, cum homines doctiſſimi, quibus ego plurimum tribuo, quoſque vel maxime vereor ac ſuſpicio, hujuſmodi rationem ſibi tenendam certis de cauſis exiſtimaverint. Sed detur id quidem, nec enim adverſor, Philoſophantibus, quibus rerum ſive gravitas, ſive ſubtilitas, ſive aſperitas poeticas delicias atque ornamenta vix interdum permittit; In Lyricis quidem certe non videtur ferendum, neque adoleſcentes ad hujuſmodi imitationem alliciendi. Quamobrem ſiqua eo carminis genere efferenda ſeſe obtulerunt, a Lucretiana imitatione abſtinendum omnino cenſui, & ad Virgilianam potius majeſtatem, ac ſuavitatem, quantum quidem efficere, aut conari poſſem, & Auctoris mei character, & exotica oratio, & conciſae ſententiae paterentur, longiſſimo quantumvis intervallo, aſpirandum. In optimorum Poetarum virtutibus exprimendis, ad ſacroſque ſenſus traducendis, quid potuerim, aliorum judicium eſto. Ego quidem in eam curam libenter incubui, ut profanas dicendi formas conſecrarem, & veterum Chriſtianorum exemplo, Eccleſiaſticas litteras hiſce antiquae ſuperſtitionis veluti ſpoliis augerem, atque locupletarem. Claritati ſaltem plurimum ſtudui, quantum in tanta, quae occurrebat, obſcuritate aſſequi potui, in quo quidem tum ob ſententias abſtruſiſſimas, tum ob cogitandi rationem a noſtrate prorſus abhorren-

rentem, tum ob locutionum Hebraicarum preſſam contractamque brevitatem, ac ſpiritum nimio audaciorem, tum denique ob frequentem rerum ſententiarumque disjunctionem, ac diſſolutionem Prophetis familiarem, fuit non mediocriter laborandum. Cui poſtremo incommodo ut mederer, nulli duxi religioni aliquos interdum verſiculos addere, qui ſuperiora cum inferioribus, parteſque cum partibus connecterent, atque conglutinarent, quique obſcuriora loca, ſi non in ſuo, at in meliori lumine collocarent; quod & M. Antonium Flaminium in pauculis illis, quos tranſtulit, ſuo ſibi jure ſumpſiſſe animadverti. Nam temporum mutatione, ac de praeterito in futurum converſione nemo, credo, offendetur, qui Hebraicae linguae conſuetudinem calleat, in qua tempora perſaepe mutantur, & futura per praeteritum efferuntur. Praeterquamquod id Prophetis eſt uſitatum, ut futura quae ſunt, jam provideant effecta, ac de iis, tanquam de praeteritis loquantur. Allegorias porro omnes illuſtrare, quibus *Pſalmi* refertiſſimi ſunt, tum ab inſtituto meo alienum duxi, qui ſolum litteram explicandam ſuſceperim, tum etiam ſupervacaneum, quod a ſacris interpretibus, qui varias excogitarunt, nullo negocio peti poſſint, ſatiſque habui aliquas, in quibus Pſalmi quidam fere toti verſarentur, & ſine quibus intelligi nihil poſſet, in argumentis leviter attigiſſe. Unum monere non ab re fuerit, ſolere crebro Vatem noſtrum factum aliquod hiſtoricum tractare, aut de certo homine, aut

loco

loco ſermonem inſtituere, puta, de Salomone, de Hieruſalem, ſed repente medio in ſermone, quaſi Divino aliquo inſtinctu afflatum abreptumque alio avolare, & fere ad ea, quae ad Chriſtum, vel ad Eccleſiam pertinent, ac vel ibi reliquum *Pſalmum* inſumere, vel poſt aliqua ad hiſtoriam reverti, cui conſuetudini, ab aliis quoque Prophetis non ſemel uſurpatae, in hac mea translatione ſerviendum fuit. Pſalmis vero Davidicis addenda cenſui Cantica, quae in Scriptura extant, illuſtriora, quod eodem ſpiritu ſcripta ſint, eodem ſacri furoris impetu concepta, iiſdem virtutibus atque ornamentis referta. Siquis autem miretur, me Latinum ſermonem maluiſſe, quam Etruſcum, is ſciat, velim, me ſic ſtatuere, Latini idiomatis majeſtatem, gravitatem, dignitatemque ad res ſanctiſſimas, vetuſtiſſimaque religione conſecratas, ac Divina plane ſenſa ac Myſteria exprimenda, eſſe prae caeteris accommodatiſſimam. Id ſicui minus ſatiſfecerit, illud addam, hunc jam locum non mediocri cum laude fuiſſe occupatum a praeſtantiſſimis viris, & omnium ore celebratiſſimis, qui & hoc ipſo, & ſuperiore ſaeculo Pſalmos Tuſca poeſi expoliverunt, quorum ego cum ingenio & poetica facultate ſi certare voluerim, amens ſim. Qui vero Davidica carmina latine verterunt, homines exteri, ita parum apud nos noti ſunt, ut Gagnaeium, Montanum, Bochium, quos ſatis bonos poetas eſſe ex fragmentis cognovi, totos legere mihi non contigerit, quos quidem ego vidi duos elegiacos translatores, alter ne legi quidem dignus, alter multis bonis

multa admiſta habet, quae probari nemini poſſunt. Buchananus omnium facile princeps, perrarus eſt, idemque periculoſus propter multa, quae in eo promiſcua leguntur, vel ſatyrica, vel impudica, vel plane impia. Locum itaque mihi relinqui ſum arbitratus ut in Divinis hiſce Poematis illuſtrandis aliquid auderem, & quam poſſem, Latinae poeſeos ſpeciem elegantiamque eis conciliare conarer. Adoleſcentibus potiſſimum Latine ſcribendi ſtudioſis laborioſam hanc operam commodavi, quo haberent ſanctiſſima ac ſaluberrima carmina, quibus animum oblectarent ac paſcerent, & ad virtutem non minus, quam ad eruditionem proficerent. Demum mihi etiam ipſi indulſi, qui in Latinam linguam propenſiore ſim ſtudio ac voluntate, eamque a pleriſque ſummis ingeniis hoc tempore omnino negligi vehementer doleam. Atqui non deſunt hodie, qui latine ita ſcribant, ut ſaeculum hoc noſtrum non modo ſuperioris vitia emendarit, ſed vix jam habeat, quod ſexto decimo invideat. Ab horum ego elegantiſſima dicendi ratione quamvis abſim longiſſime, tamen in eandem curam operam contuli meam, quae res ſi minus proceſſerit, vel rei difficultati, vel certe imperitiae meae tribuatur, dummodo alius quiſpiam exiſtat, qui quod ego bona quidem mente, ſed malo eventu tentavi, felicius exequatur. Illud ego ſaltem commodi ſim conſecutus, ut Pſalmos cum legam, vel recitem, eos ſi non ex toto, at magna ex parte intelligam, qui vel ſolus ſuſcepti laboris fructus eſt meo quidem judicio uberrimus, atque jucundiſſimus.

AD SANCTISSIMUM REGEM AC PROPHETAM

DAVIDEM PSALMORUM

AUCTOREM INVOCATIO.

Rex magne, Vatum idemque Vates optime,
Quotquot fuere, ſuntve, eruntve in poſterum,
Qui labra ſanctis proluiſti fontibus,
Vena unde caſtae profluit poeſeos,
Mentemque toto, & ora plenus Numine
Divina pectore edidiſti carmina;
Ac vel tumultus, bellaque inter horrida,
In te rebelles quae gerebant filii,
Vel exteris movebas ipſe gentibus,
Inter labores, inter aerumnas domus,
Reique tanta publicae negocia,
Regnique curas, ſancta miſcens otia,
Deum canebas per ſtatas noctu, ac diu
Horas, opem precatus, aut juſtiſſimas
Agens recepta pro ſalute gratias;
Deique variis Nomen aptabas modis,
Deique facta; & pollice impellens fides
Deum docebas canere ſacram barbiton,
Vocemque flectens mille per diſcrimina,
Deum ſonare Regiae conclavia;
Et nunc ſupremo collocatus vertice
Montis beati, prata per ridentia
Nunquam caducis picta ſemper floribus,

Syl-

Sylvaſque ſacras, quae nitentes aureis
Campos opacant uſque amictae frondibus,
Aura educatae purioris aetheris,
Semper virente laurea cinctus comas
Ducis choros Caeleſtium, & ſancti agminis
Choragus altas Numinis laudes praeis
Majore cantu, grandiore pectine,
Quas caeteri mox conſecuti Caelites
Dei canunt clementiam nec finibus
Ullis, nec ullis terminandam ſaeculis;
Rex magne, Vatum idemque Vates optime,
Ades canenti, tuaque per veſtigia
Tentanti ad oras Italas deducere
Modis Latinis verba doctas nectere
Sacras Camoenas, Patrio ſuetas tibi
Sermone pulchra fingere olim carmina,
Sionii quae ſaxa montis concavis
Referre amarunt ter remiſſa rupibus,
Miratus & Jordanis unda conſtitit
Pendente curſus, atque naturae immemor;
Et nunc per omnes orbis oras didita
Iterata crebris & piorum vocibus,
Sacriſque nunquam conticenda coetibus,
Dum lege certa ſe revolvent ſaecula;
Illa illa dico lapſa Caelo carmina
Teſtantia, ex qua ſint profecta origine,
Sermone & ipſi quo loquantur Caelites,
Deuſque qua ſe voce laudari velit,
Scatentia & illo nectare, ac dulcedine,
Quae large inundat cuncta Divorum agmina,
Qua noſtra mens perfuſa ſe obliviſcitur,
Terraſque, & alta Caeli templa obambulat,

Pro-

Propiore viſa jam ſibi frui Deo.
Sed illa tam bona, ac venuſta carmina
Inculta forma prodiere non ſua
Alienum in orbem: Magnae ut oblita indolis
Jacent, decoris parte quanta patrii
Truncata, & omni nuda lenocinio!
Juvat Latinis expolire verſibus
Tam plena ſucci, ac dignitatis carmina,
Et priſtini partem decoris reddere,
Quoad licebit arte, & ingenio aſſequi.
Juvat Latinis vatibus paene omnibus
Altum ſonantes rapere de manibus fides,
Quas hi profanis polluerunt cantibus,
Turpes amores, foeda vel convivia,
Duces ſuperbos, vel cruenta praelia
Crepare ſuetas, vel Deorum inanium
Abominanda ferre Caelo nomina;
Eaſque tantis expiatas ſordibus
Modis tuorum temperare Carminum,
Sanctae docere dictionis formulas,
Veroque rurſus vendicare Numini
Poeſim, honori reſtitutam priſtino;
Ingens opus, meis nec aptum viribus,
Dignumque ſane, quod tuis opibus juves,
Divinae Amator, Cultor & poeſeos,
Idemque veri Amator, ac Cultor Dei,
Semper profanos execratus Gentium
Rituſque, morumque impiam licentiam.
Quanquam quid illis eſt mihi cum barbitis,
Mirata quondam quos canentes audiit
Superba Roma, vel diſerta Graecia?
Pauliſper illam commoda, quaeſo, Lyram,

Cui

Cui caeterae omnes jure primas deferunt;
Dignam polo fulgere, & inter ſydera
Locum tenere celſiorem Oeagria.
Illam feras traxiſſe, & auritas ſonum
Quercus ſecutas, vana narrat fabula.
Tuam potentem turbulenti pectoris
Sedare cantu concitatos ſpiritus,
Mentiſque permulcere lymphatae impetum;
Olim fuiſſe, vera fert hiſtoria (a).
Hanc porrige, inquam, nobilem, ac doctam Lyram;
Simul canendi ſpiritum mihi impetra,
Tuo refuſus qui calebat pectore,
Tuis ut inſtem proximus veſtigiis,
Tuoſque ſenſus, & verenda intelligam
Tuis repoſta verſibus myſteria;
Tibi illa claro aperta ſunt in lumine
De ſempiternis prodeunte montibus,
Obducta denſo ſed mihi velamine
Latent, tenebris obſito ignorantiae.
Per te, rogo, ſuperna lux affulgeat,
Quae corde puris conſpicanda panditur,
Coecamque mentis diſſipet noctem meae.
Id ſi negetur, & frequenti crimine
Coecata mens ſpectare non tam altum poteſt,
Placare laeſi me doce iram Numinis.
Tua aemulantem exempla, & illas intimo
E corde ductas, ac ſalubres lacrymas,
Quibus juventae tu piaſti improvidae
Errata, & aequum leniiſti Judicem.
Id ſi impetraro, multo erit jucundius,
Quam ſi tua aemuler canendo carmina.

DA-

(a) 1. Reg. 16.

DAVIDIS CARMINA.

PSALMUS PRIMUS.

Beatus vir &c.

Bonorum felicitatem, & malorum miſeriam deſcribit.

1 BEatus ille, qui malorum ab impiis
Abhorruit ſententiis,
Nec improborum libero latas pede
Perambulavit ſemitas;
Nec peſtilentis confidens ſcientiae
Praecepta doctor tradidit;
2 Sed ſancta Veri ad inſtituta Numinis
Curas ſagaces contulit,
Ejuſque legem diligenti cogitat
Noctu, diuque pectore;
3 Nam, qualis arbor in virente conſita
Aquae fluentis margine,
Uberrimis onuſta pomis brachia
Suo recurvat tempore,
4 Pulchrum nec ulla decutit comantium
Vis brumae honorem frondium;

Sic ille florens ſemper, ac ſemper vigens
Vitae bonis circumfluet;
Negociique quicquid auſpicabitur,
Laetos habebit exitus.
5 Non ſic malorum gens proterva, non pari
Sortis fruetur munere,
Sed auferetur, inſtar atri pulveris,
Quem turbo in auras diſſipat.
6 Hinc cum Supremus ad tribunal Arbiter
Gentes vocabit mortuas,
Abominata non reſurgent corpora
Socianda Sanctorum Choris,
Circumſidenti nec piorum coetui
Miſti aſſidebunt impii.
7 Juſto probantur juſta facta Judici;
Artes peribunt improbae.

PSALMUS II.

Quare fremuerunt Gentes &c.

Regni Sede, frementibus adverſariis, Hieroſolymis conſtituta, futuras Chriſti, ejuſque Regni vexationes in ſuis adumbratas, ac deinde triumphos praedicit.

1 QUid incitatae tam trepido fremunt
Gentes tumultu? Quid populus ferox
Nil profuturis inquietum
Conſiliis animum fatigat?

2 Du-

2 Duces coortis ſeditionibus
Reges ſteterunt, impia principes
Coetu coacto, concitarunt
Arma Deo, ſimul arma Regi.

3 Nunc arcta tempus rumpere vincula,
Clamant rebelles, ſervitii jugo
Nunc colla ſubduxiſſe, duros
Ferre nec ulterius tyrannos.

4 Sed qui ſupremos arduus incolit
Caeli receſſus, deſpiciet minas
Fruſtra tumentes, atque amaro
Excipiet fera coepta riſu;

5 Itaque tandem vindice percitus
Voce intonabit turbidus horrida,
Vultuque dejectos minaci
Sternet humi furibundus hoſtes.

6 At me benignus vertice in arduo
Sancti Sionis Caelicolum Pater
Regnare juſſit, nec verendum
Conſilium patiar ſileri.

7 Rex ille Regum: Tu mihi filius,
Tu certa proles dixit; Origine
Tu prodis e noſtra, per omne
A me hodie generatus aevum.

8 Ergo, voluntas quod tua fert, pete:
A me regendae jure tibi tuo
Gentes dabuntur, quaque late
Terra patet, tibi cedet orbis:

9 Hinc tu ſevera judicii premes
Virga protervos: diſſilient tuo
Fracti ſub ictu, ceu ſubacto
Ficta luto, fragiliſque teſta.

10 Artem regendi vos modo diſcite,
Sceptrum potenti qui geritis manu,
Juſtaque pallentes libratis
Lance reos, dubiaſque lites:
11 Late imperantis juſſa faceſſite
Regis paventes; hunc, trepidos metus
Non inſolenti temperantes
Laetitia, celebrate cantu.
12 Neu diſciplinae poeniteat, bono
Quae veſtra cultu pectora roboret,
Divina ne vos ira pravo
Praecipites ſinat ire calle.
13 Jam tempus inſtat, cum furor ardeat
Poenas parati ſumere Judicis:
O ter beati tunc, in illo
Qui ſolidam ſibi ſpem locarunt!

PSALMUS III.

Domine quid &c.

1 *In ſe ab Abſalone exagitato Chriſti figuram deſignat.*

2 QUid meum tantae latus hinc, & inde
Obſident turmae, miſerumque vexant,
Quidve collatis tot in arma fervent
Viribus hoſtes?
3 Haeret infelix animus frequentes
Audiens circum reſonare voces:

Nulla ſpes illi ſupereſt, ſaluſque in
Numine amico.

4 Tu tamen noſtrae, Deus o, ſalutis
Auctor, & vitae columen, decuſque,
Me jubes terra poſitam levare ad
Sydera frontem.

5 Saepe ſublata Dominum precatus
Voce clamavi; ſupera vocantem
Arce reſpexit, facileſque votis
Praebuit aures.

6 Inde ſecurus jacui malorum,
Dormiens altum: rediit repente
Pectori virtus revocata, flante
Numinis aura.

7 Hinc timor nobis procul omnis eſto,
Millia intentis mihi multa quamvis
Ingruant telis, ſubitam minentur
Omnia mortem.

Surge, ne ceſſa, Deus; huc ſalutis
O meae vindex ades, inter hoſtes
Meque deprenſum medios potenti
Numine ſerva.

8 Non ſemel per Te cecidere caeſi
Quotquot inſontem petiere bello,
Concidit fractus furor, & parati in
Vulnera dentes.

9 Spes Deo eſt omnis referenda vitae,
Et ſalus omnis. Tibi mancipatam
Tu beas unus, cumulaſque multo
Munere gentem.

PSALMUS IV.

Cum invocarem &c.

1 *Suo exemplo caeteros monet, ut reſipiſcant, vana omittant, Chriſtum agnoſcant, ac bene vivant.*

2 DEus, meae auctor unus innocentiae,
Me vix vocatus audiit.
Tu rebus animas addidiſti in aſperis
Virtute pectus roborans.
3 Nunquam negatam fer miſertus nunc opem,
Voces & audi ſupplicis.
4 Quouſque duro corde, gens mortalium,
Specioſa vos mendacia
Ludent, inanes atque rerum imagines?
Vitae Ducem ſanctiſſimum (a)
Sectamini,
5 Miriſque adauctum honoribus
Scitote, & aequatum Deo.
Me deprecator quando talis adjuvat,
Deus rogantem exaudiet.
6 Vos odia, & irae exerceant innoxiae
Contra inſolentes ſpiritus;
Et veſtra ſolis abditi cubilibus
Errata fletu tergite,
7 Vitaeque caſtas innocentis hoſtias
Vero immolate Numini.

Spes

(a) i. e. Chriſtum.

Spes nixa in illo tota ſit. Quis, inquiunt,
Quae vera ſint vitae bona,
8 Oſtendet? at lux alma nobis inſidet
Vultu profecta de Tuo,
Aeterne Rector, quae perennis edocet
Felicitatis ſemitam.
Haec dum revolvo, quanta praeſens excitas
In corde noſtro gaudia!
9 Aliis referti fluctuent flaventibus
Agri feraces meſſibus,
Aliis redundent muſta prelis fervida,
Bacciſque olivae exuberent;
10 At ipſe in aurem ſimul utranque dormiens
Dulci quiete perfruar,
Quod ſingulari jam appetentis auxili
Me ſpe, Deus, ſuffulſeris.

PSALMUS V.

Verba mea &c.

1 *Sanctae precationis formam exhibet, Dei odium in peccantes, eorumque punitionem.*

2 VOces, Alme Parens, excipe ſupplices,
Aures altiſonis queſtubus admove,
3 Et praebe precibus te facilem meis,
Rex noſter ſimul, & Deus.
4 Nam multa properem Te prece flectere,
Tangatque haec animum cura prior meum;

At Tu, cum reducem ſol referet diem;
Me placabilis audies.
5 Praeſens ante oculos mane novo tuos,
Qui ſis, perſpiciam, quamque bonus Deus,
Quamque oſor ſcelerum, cui nihil improbum,
Nullum cui placeat malum.
6 Ergo Te veritus ſtet procul impius;
Coram non faciem ſuſtineant tuam,
7 Quotquot mens agitat conſcia criminum,
Et jus flagitiis datum.
Tu voces ſolitos nectere ſubdolas
Perdes, atque ſuis fraudibus indues;
8 Tu caedis cupidum, & fallere callidum
Averſaris, & abjicis.
Multa in Te pietas: hujus ego memor
Auguſta ingrediar ſub penetralia;
Templis caſta tuis vota feram, ſacro
Pallens, ac trepidus metu.
9 At Tu juſtitia dirige me tua,
Neu forte inſidiis opprimar hoſtium,
Praeſenti dubium Numine praevius
Per rectas age ſemitas.
10 Illis nulla fides, nullaque veritas
Mendaci ore ſonat, nil niſi vanitas,
Et fraus corde latet.
11 Teter ut infimo
Exhalat tumulo halitus,
Sic putres animae gutture foetido
Eructant ſtygiis oblita fraudibus
Verba, & peſtiferis immedicabile
Virus faucibus evomunt.
Sed Te turba nocens Judice corruat,

Dece-

Decepta & ſtudiis decidat irritis;
Teque auſam indomita fronte laceſſere
Peſſum pro meritis preme.
12 Illi vera agitent gaudia, quos tui
Spes patrocinii non dubia erigit,
Aeternaque dies laetitia tuo
Pleni numine tranſigant.
13 Per Te quanta manet gloria, quos tui
Urget ſolicitos gloria Nominis!
Nam puro ſceleris plurima conferes
Larga munera dextera.
Inter bella tuus nos favor expedit,
Et quovis clypeo firmius hoſtium
Ictus excipiens, noſtra perennibus
Cingit tempora laureis.

PSALMUS VI.

Domine ne in furore tuô &c.

1 *Oratio peccatoris timentis Divinum Judicium, & ad reconciliationem aſpirantis.*

2 SUmme Pater, toto me caſtigare furore
Parce, & merentem perdere;
Neu poſita pietate, tua in me ſaeviat ira,
Juſtaſque poenas exigat.
3 Quin potius miſero propera ſuccurrere, noſtrae
Miſertus aegritudinis.
Affer opem: languent infirmae in corpore vires,
Et oſſa collidit tremor.

4 Anxia mordaces diſcerpunt pectora curae:
At quandiu trahes moras?
5 Aſpice me; vitamque malis hanc eripe: per Te
Tuam rogo clementiam.
6 Si peream, quae Te maneat laus funere Noſtro?
Quae, me perempto, gloria?
Quis poſt fata Tui memor eſt, quis triſtibus umbris
Te confitetur occubans?
7 Heu quantum ingemui! quantum dedit ille laboris
Luctus, piamen criminum!
Nec ſatis hoc: ſemper lacrymis mea ſtrata natabunt
Cunctis rigata noctibus.
8 Lumina tabeſcunt jam caligantia fletu,
Amens dolore differor.
Innumeros inter dum vivo exercitus hoſtes,
Jam me ſenectus opprimit.
9 Ite procul, gens flagitiis peſſundata: fletus
Deus loquaces audiit;
10 Audiit ille Deus non irrita verba precantis,
Votiſque mitis annuit.
Occupet ora pudor, rumpantur & ilia magno
Dolore victis hoſtibus;
Seque indignati vanum ſumpſiſſe laborem,
Longe faceſſant ocyus.

PSAL.

PSALMUS VII.

Domine Deus meus in Te &c.

1 *Falſum de affectato regno crimen vel a Saule inimico, vel a Semei in rebellione Abſalonis ſibi illatum refellit, & prophetice Perſonam induit Chriſti per calumniam circumventi.*

2 IN Te noſtra, Deus, reſidet ſpes omnis: ab omni
Quo premor, incolumem fac, precor, hoſte tegas.
3 Ne vitam hanc rapiat, qui noſtra tingere fauces
Caede cupit, viſi ceu leo caede gregis.
Non eſt, qui poſitum tanto in diſcrimine ſervet,
Non eſt, optatam qui ferat, ullus opem.
4 Criminis accuſor, quo ſi mens conſcia pallet,
Noxia ſi tali eſt labe notata manus,
5 Aut male ſi meritis retuli mala, victus ab hoſte,
Illaudatus iners, ac ſine honore cadam;
6 Inſtet atrox, mortemque paret, vexetque, manumque
Inferat, impoſito me premat inde pede;
Et mea condatur, quo corpus, gloria buſto,
Et tenues pariter decidat in cineres.
7 At Tu ſurge, Deus, juſtoque armare furore,
Terreat hoſtiles & tua fama plagas.
8 Surge, tuas ſerva leges; Te nanque jubente
Tuta manet, quoties crimine vita caret.
Si facias, populos cernes fervere frequentes
Te circum, in laudes ora ſoluta tuas.

9 Pro-

9 Propterea celſum rurſus conſcende Tribunal;
Debita nam populis reddere jura Dei eſt.
10 Te mea pro meritis penſetur Judice vita,
Stetque patrocinio tam bona cauſa tuo.
11 Nequitiae attingat metas gens improba: Juſtum,
Tu, qui ſenſa vides abdita corde, reges.
Jure igitur ſperem, mihi praeſens adfore Numen,
Quo venit innocuis certa juvante ſalus.
12 Nempe Deus judex juſtus, fortiſque; ſed idem
Eſt patiens: Quovis ſaevit an ira die?
13 At niſi poeniteat ſcelerum, & commiſſa pietis,
Fulminea gladium jam rotat Ille manu;
Jamque ſuum abductis lunavit cornibus arcum,
Jamque micant certae tela parata neci.
14 Spicula mortifero livent armata veneno,
Et trifidi admiſto fulminis igne rubent.
15 Auſa parat furioſa malus; dolor, iraque mente
Concipitur tumida, tum ſcelus illa parit.
16 Effodit coecum ſubter tellure barathrum,
Lapſus at in foveam decidit ipſe ſuam.
17 Sic, quam mente aluit, rabies vertetur in ipſum,
Et cadet in nocuum culpa retorta caput.
18 Aſt ego Divini laudabo Vindicis iras;
Inque meo Auguſtum carmine Nomen erit.

PSAL-

PSALMUS VIII.

Domine Dominus noſter &c.

1 *Laudat Dei potentiam, ſapientiam, & in homines benignitatem.*

2 REx, Deus, noſtrae Dominuſque Vitae,
Quis tui non vim ſtupeat, decuſque
Nominis, quaqua ſub utroque tellus
Panditur axe?
3 Aureos Caeli radiantis orbes
Gloria excedit tua, nec poteſtas
Finibus ſeſe patitur teneri, aut
Claudier ullis.
4 Ipſe vel nondum genitricis infans
Lacte depulſus, Tibi vix ſoluto
Ore balbutit, Tibi prima laudum
Munera pangit;
Se tui ut victos fateantur hoſtes
Denique, & magnos cohibere diſcant
Spiritus, nec jam minitante Caelum
Fronte laceſſant.
5 Nanque ego immenſi revoluta mundi
Signa, Divinae monimenta dextrae,
Et jubar Lunae, & vaga Te movente,
Sydera mirer.
6 Quid ſumus, tantus Deus ut ſalutem
Stirpis humanae memor uſque cures?
Quid

Quid genus noſtrum, propiore ut illud
Numine viſas?

7 Caelitum genti prope par, honore
Praeditum fulget ſimili, aut ſecundo,
Et regit nutu, tua quidquid uſquam
Dextra creavit.

8 Dante Te, noſtras ſubiere leges
Gramini aſſuetae tenero bidentes,
Et boves curvo dociles aratro
Vertere glebas,
Quotquot aut campis pecudes vagantur,

9 Aut natant motas volucres per auras,
Aut ſecant ſalſi ſpatioſa ponti
Aequora piſces.

10 Arbiter noſtrae, Deus alme, vitae,
Nominis virtus Tibi quanta, late
Qua patet tellus, & utrumque Phoebus
Circuit orbem!

PSALMUS IX.

Confitebor Tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia &c.

1 *Gratias agit Deo pro relata ab ipſo, & a toto Iſraele victoria, Chriſtique, & Eccleſiae triumphos praenunciat.*

2 DEbita, ſumme Pater, laudum Tibi munera ſolvam,
Te toto Te corde canam, mirandaque dextrae
Facta tuae pandam; per Te mihi percita fervent

3 Laetitia, & dulci ſubſultant pectora motu,
Teque, tuumque feram ventura in ſaecula Nomen:
4 Tu noſtros dare terga jubes, Tu disjicis hoſtes,
Aſpectuque tuo, ceu fulminis ignibus icti,
Exanimeſque ruent. Jam nullae in praelia vires,
Nulla ſuperfuerit bellum inſtaurare poteſtas.
5 Tu meus es vindex, mea ſtat, Te Judice, cauſa.
Tu celſum inſiſtens ſolium, juſtumque tribunal,
Unde ſoles aequa mortalia pendere lance,
Terribili in populos tonuiſti voce nocentes,
Quotquot erant, ſubita ceciderunt clade perempti.
6 Nec ſatis; infandum periit quoque nomen, & altis
Delituit tenebris, aeterna & nocte ſepultum.
Nulla hoſti ſunt arma ſuper; jam telaque, & enſes
Deficiunt, omne abſumpta ac deleta per aevum.
7 Tu ſcelerata manu vertiſti moenia quaſſans
Dejectaeque ſolo ſqualent ſine civibus urbes.
8 Ac modo qui tanto miſcebant cuncta tumultu,
Procubuere ſolo, ſub eadem merſa ruina
Cum magno ſimul interiit quoque fama fragore;
Solus enim immenſo Deus immutabilis aevo
Permanet.
9 Ille ſuam quaerenda ad crimina ſedem
Conſtituit, terraſque reis hinc jura per omnes
Reddet, & arbitrio populos moderabitur aequo.
10 Praeſidium hoc inopum eſt; inopes Deus ipſe levabit
Auxilio, ipſe aderit, cum res, tempuſque requiret,
Ferre paratus opem, duroſque avertere caſus.
11 Speret adhuc genus infelix, Te ſperet in uno,
Te quiſquis, nomenque tuum, Rex maxime, novit.
In Te ſpes miſeris nunquam interitura, nec ullum
Deſeris, integra quiſquis Te mente requirat.

12 Dici-

12 Dicite, jo, laudes populi, veroque Tonanti
Pſallite, qui ſumma ſanctae ſedet Arce Sionis,
Illius & gentes celebrate arcana per omnes
Conſilia, & magnae molimina provida Mentis.
13 Scilicet advenit tempus, cum ſanguinis ultor
Innocui poenas crudeli a gente repoſcat.
Non ille oblitus lacrymas, gemituſque piorum,
Non inopum immemori ceciderunt pectore clades.
14 Heu noſtri miſerere, Pater; noſtrae aſpice ſortis
Opprobria, atque hoſtes in noſtra caede ſuperbos,
15 Tu, qui me furvi ſubeuntem jam oſtia Ditis
Erigis, & meliora jubes ſperare juvando;
Soſpes ut, & ſaevis ereptus faucibus Orci
Te dicam, laudeſque tuas qua plurima turba
Convenit ad portas, auguſtaque tecta Sionis.
16 Tunc ego laetitia exultans, partaque ſalute,
Jure tibi grates ſolvam: gens impia clade
Merſa ſua eſt, jacuitque ſuis tumulata ruinis,
Et quae nexuerat, capto pede vincula ſenſit.
17 Sic Deus exercens juſtum, ac memorabile terris
Judicium, prodet ſeſe, ultoremque probabit;
Cum malus inter opus ſubita deprenſus ab ira
Concidet, & propria jugulatus ab arte peribit.
18 Infernas repetat ſedes ſcelerata propago (a),
Et quaecumque Deum gens eſt oblita minantem,
Nataleſque domos ſcelerum, ſua regna, reviſat.
19 Non aeterna prement inopes oblivia, nec ſi
Multa indigna ferat pauper, ſine fine jacebit,
Nec ſpe ludetur fruſtra lactatus inani.
20 Surge age, ſurge Deus: Te contra pulvis, & umbra
Ne ſtet homo, inſanis neu fidat viribus audax;
Pal-

(a) Hebr. Revertantur peccatores &c.

Palleat ante tuum raptus, trepidetque Tribunal
Anxius;
21 Ipſe autem durum, qui caepta refroenet
Impia, cenſorem, rigidumque impone magiſtrum,
Ad ſeſe ut redeat, mortalem & ſentiat eſſe.

PSALMUS X.

Secundum Hebraeos, ſed apud ſeptuaginta Interpretes ſequitur idem.

1 QUae Te tam longe, Deus o, quae cauſa morantem
Detinet? Afflictis cur non, Pater optime, rebus
Opportunus ades?
2 Faſtu dum turget iniquus,
Divitiis, famaque potens, incenditur ira
Infelix pauper, coeciſque implexus uterque
Conſiliis, dubia turbatur imagine rerum.
3 Nempe nocens imo fovet improba pectore vota,
Laudaturque tamen, plauſu excipiturque ſecundo;
4 Inque Deum furit inſultans, atque aſperat iras,
Et rabie inſanus Numen quoque deſpicit ultro,
Flectere ne dum conetur, veniamque rogare.
5 Nullus, ut ipſe putat, Deus eſt: Hinc pronus in omne
Proripitur ſcelus, & coeco ruit impete ſemper
In praeceps, quacumque via tranſverſus agatur.
Judicii non cura tui ſubit ulla, nec unquam
Terrificum pavida reſpectat mente Tribunal.
Inde furor, cunctoſque premens violentia, quotquot
Infenſos putat eſſe ſibi, nec moribus aequos.

6 Quippe animo reputans: mea nullus commoda, dixit,
Turbabit caſus, ridebit proſpera ſemper
Sors mihi.
7 Tunc plenis effudit jurgia buccis,
Murmuraque & rixas, & amaro perlita felle
Dicta, vafroſque dolos, & doctas fallere voces,
Ingentem luctus ſegetem, durique laboris
Materiem, impura latuit quae condita lingua.
8 Interdum occultis, turba ſtipante potentum,
Subſidet in latebris, ad caedem & damna paratus
Sanguinis innocui.
9 Si quando pauper oberrans
Obvius occurrat, limis hunc aſpicit; inde
Inſtruit inſidias latebroſo inviſus in antro,
Ceu Leo ſpeluncae vaſto occultatus hiatu
Accubat, & rictu ignaros invadit aperto.
Pauperis exitio ſtudet, & fallacibus eſcis
Pellicit incautum, ſuaque actum in retia trudit.
10 Tunc laqueo implicitum aggreditur, vexatque jacen-
Inſiliens, curvat ſeſe, incumbitque, ruitque (tem
Ipſe ſuper, ſpoliis inopis, vitaque potitus.
11 Non Deus, inquit enim, videt haec, aut talia curat;
Quin faciem avertit, nec quicquam ſcire laborat,
Quicquid agant homines.
12 At tu ſumme Arbiter orbis,
Surge Deus vindex, dextramque attolle potentem,
Innocuae neu Te capiant oblivia gentis.
13 Cur tantum inſanit? Cur Te fera turba laceſſit?
Is tibi non labor eſt, non tu mortalia curas
Scilicet.
14 At claro nil non Tu in lumine cernis,
Nec Te damna latent inopum, indignoſque labores
Aſpi-

Aſpicis, & caſus tecum meditaris acerbos,
Ut ſontes nempe arripias nil tale timentes,
Injiciensſque manus, poenas cum ſanguine poſcas.
Tu Pater; eſt inopis Tibi cura relicta tuendi,
Atque orbae ſobolis ſtudioque, operaque juvandae.
15 Audaces infringe manus, infringe nocentum
Robora, quaeque alta attollens ſe mole ſuperbit
Impietas, disjecta ſolo quaeratur, & uſquam
Nulla ſit, & nulla veſtigia ſede relinquat.
16 Regnabit victor Deus, imperioque fruetur
Perpetuo, aeterna donec ſe lege reſolvent
Saecula. Vos, gentes, clades inopina, profanae,
Auferet ex toto, quacumque ille imperat, orbe.
17 Audiit e ſummo tandem miſeratus Olympo
Vota inopum, & tacito conceptas pectore voces
Excepit facili Rex clementiſſimus aure;
18 Pauperis & cauſam afflicti, ac ſine honore jacentis
Suſcepit, tumidos humana ſuperbia ponat
Ut faſtus, diſcatque ſua perrepere terra.

PSALMUS X.

In Domino confido &c.

1 *Cum adhuc in Saulis Domo verſaretur, monitus ut ſibi fugiendo conſuleret, oſtendit ſuo exemplo juſtis in Deo confidentibus malorum odia non eſſe pertimeſcenda, quorum punitionem praedicit.*

2 IN dextro reſidet ſpes mihi Numine:
Quae vox miſſa meis obſtrepit auribus:
Diras linque plagas, & pete inhoſpita
Paſſer ceu timidus, juga?
3 Infeſta inſidiis cuncta valentibus
En arcum ſinuat viribus improbus,
En promit pharetris ſpicula, quae bonos
Intorta e latebris petant.
4 Te, Rex ſumme, petunt; non Tibi, non tuis
Parcunt imperiis, cunctaque deſtruunt.
Nam quid commeruit, talia cur ferat
Recti cultor, & innocens?
5 At Caeli altitonans templa tenet Deus,
Et ſummo ſolium fixit in Aethere;
Illum facta hominum nulla latent, ſuae
Nec quenquam tenebrae tegunt.
6 Pacato hinc inopes lumine reſpicit,
Hinc vitas hominum, factaque ponderat
Intentiſque oculis pectora diſcutit,
Et coecos animi ſinus.

Non

7 Non juſtus rigidi, non fugit improbus
Lances judicii: pro meritis datur
Merces cuique ſuis. Quiſquis amat ſcelus,
Ipſum ſe odit, & enecat.
8 Eheu quanta manet poena nocentibus!
Nexus, ignis edax, vivaque ſulphura,
Nimbique horriſono turbine depluent
Effuſi in caput impium.
9 Juſtus nempe Deus juſtitiam fovet,
Juſtoſque ex animo diligit unice:
Juſtum quod videat, leniter annuens
Vultus indicio probat.

PSALMUS XI.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus &c.

1 *Fidendum Deo, non hominibus, quod ſolus ille fideliſſimus ſit.*

2 FEr, Deus, mihi ſalutem;
Namque terris exulat
Alma virtus, ſanctitaſque,
Tum fides, tum veritas;
Vera nemo jam profatur,
Quiſque amat mendacia,
3 Et doloſa verba nectit,
Fallat unde credulos,
Ore callidus bilingui

Cor fovere perfidum.
4 At Deus doloſa perdat
Labra quaeque & grandibus
Glorioſa quae inſoleſcit
Lingua turgens vocibus.
5 Magna noſtrae comparetur
Fama linguae, dictitant;
Noſtra nobis labia pugnant
Certa torquent ſpicula,
Stare quis contra, imperare
Quiſve nobis audeat?
6 Sed Deus tandem miſertus
Indigentum, & lacrymis
Pauperum permotus: Ecce
Nunc, ait, nunc excitor,
Surgo nunc, maliſque longis
Et periclis liberos,
Et ſalutis munere auctos
Sede tuta colloco.
Me timor nullus retardet
Cuncta agam ſed libere.
7 Sunt Dei verenda nullo
Verba fuco perlita,
Puriora ſunt metallo,
Laminaque argentea,
Quam probavit ignis ardens
In cavis fornacibus,
Faece & omni ſegregata (a).
Perpolivit ſepties.
8 Ergo Tu, Deus, ſalutem
Quam ſpopondiſti, afferes;

No-

(a) S. Hier. vertit, ſeparatum a terra.

Noſque contra vim malignae
Plebis uſque proteges.
9 Impius partes in omnes
Inquietus volvitur,
Et libidini obſecundat
Siſtere uſquam neſciat:
At, Deus, (proh altitudo
Conſilii admirabilis!)
Creſcere hanc ſinis malorum
Noxiam propaginem.

PSALMUS XII.

Uſquequo, Domine, oblivifceris me &c.

Afflicti, & in Deo fidentis Oratio.

1 QUouſque noſtri Te tenent oblivia,
Summae o Deus Clementiae?
Quouſque noſtris non movenda fletibus
Avertis alio lumina?
2 En ullus eſt futurus his curis modus,
Ullus dolori terminus?
3 Quem, quaeſo, ſe jactabit ad finem inſolens
Hoſtis ſuperbi audacia?
4 Deus, querelas excipe, ah precor, meas,
Et me rogantem reſpice.
5 Tu lumen inde, ne tenebris obrutum
Mors occupet lethalibus;
Neu dicat hoſtis: viribus tandem meis
Afflictus ad terram jacet.

6 Qui dimicant in me, loco ſi ceſſero,
Superba tollent cornua.
Sed ſpes ſalutis una, qua ſuffulcior,
Tua ſtat in Clementia.
7 Tum ſoſpes animo geſtiam, & grates Deo
Parta ſalute concinam.
Dicam datori tot bonorum carmina,
Ejuſque nomen efferam.

PSALMUS XIII.

Dixit inſipiens in corde ſuo &c.

1 *Deplorat humanae naturae vitia, ad quae ſananda optat Redemptoris adventum.*

FUrore vecors, atque libidine
Stultus receſſu mentis in intimo
Eſt dicere auſus: Qui putatur,
Non Deus eſt, ſed inane nomen.
Corrupta culpis gens hominum ſuis
Abominandis ſordet in artibus:
Qui recta ſectari laboret,
Vix aliquem reperire poſſis.
2 Caeli e ſuprema parte Deus plagas
Proſpexit imas, provideat bona
Num vera quiſquam, num bonorum
Quiſquam aveat reperire Fontem.
3 Recta ſed omnes abripuit via
Inſanus error; nullius utilis

Eſt

Eſt vita, nulli cara virtus,
Prorſus amat benefacta nullus.
Qualis ſepulchro peſtifer halitus
Erumpit auras inficiens graves,
Sic faucibus teter ſceleſtis
Prodit odor, vitiatque Caelum.
Mendax, & aſtu fallere callida
Semper latentes lingua ſtruit dolos,
Scatetque labris, quale ſerpens
Vipereo vomit ore, tabum.
Convicia eructantur, amarius
Et felle virus: Quo vocat impia
Sitis cruoris, concitatos
Caedis amans rapit ira greſſus.
Nil damna praeter, nil, niſi vaſtitas
Menti recurſat, nullaque foedera,
Pax nulla cordi; nec minantis
Dira Dei timor auſa froenat.
4 Nunquamne diſcet juſtitiam, ſcelus
Per omne quiſquis volvitur, & bonos
Sic dente conſumit voraci
Triticeae quaſi cruſta frugis?
5 Non ille ſuevit rebus in aſperis
Vocare Numen: Propterea timet,
Vel nulla cum ſubſint pericla,
Nilque ſibi putat eſſe tutum.
6. Juſtis amicus ſemper adeſt Deus:
At vos egentum conſilia, improbi
Riſiſtis, unum quod putarint
Auxilio ſatis eſſe Numen.
7 Erit ne, felix fulgeat ut dies,
Qua cretus alma prodeat e Sion

Dux Iſraelis, perditique
Una ſalus populi futurus?
Cum vincla genti depulerit ſuae
Aſſertor ingens, gaudia mulceant
Quanta Iſraelem, mox & omnes
Iſacii generis Nepotes!

PSALMUS XIV.

Domine quis habitabit &c.

Qua via ad aeternam vitam perveniatur.

1 QUis tuas felix, Deus Alme, ſedes
Incolet, ſummi penetrale Caeli?
Quis Tibi Sacri requieſcet alto
Vertice Montis?
2 Integer vitae, ſceleriſque purus,
Omne qui pejus fugit angue crimen,
Quemque virtutis via recta nunquam
Fallit euntem;
3 Corde qui ſimplex ſibi cuncta ſemper
Vera proponit, neque verba fictas
Nectit in fraudes, docuitque nunquam
Fallere linguam.
Ipſe nec cuiquam nocuit, noceri
Nec fuit paſſus; neque, ſi quis ore
Alterum mordax peteret dicaci,
Praebuit aurem.
4 Invidum ſprevit, numeroque nullo

Du-

Duxit; at Summi veneranda Regis
Jura ſervantem potiore dignum
Cenſet honore;
5 Qui Sacramentum neque dixit unquam
Perfidum, nummos neque foeneravit,
Nec dato pactus fuit innocentem
Munere vitam.
Quiſquis haec praeſtat, ſuper aſtra tuta
Sede conſiſtet, nec iniqua ſortis
Jura, nec tarde venientis aevi
Damna timebit.

PSALMUS XV.

Conſerva me Domine &c.

1 *A Saule exagitatus, ac profugus Chriſti Perſonam induit, quem de ſuo ad vitam reditu loquentem inducit.*

2 SPes omnes ſolitum me Tibi credere
Serva, ſumme Pater: Tu Deus es mihi,
Dixi, Tu Dominus; Tu locuples ſatis
Omni ex parte, meis nullus eges bonis.
3 Ergo, quod potui, verti animum pios
Ad terrae indigenas (a), quam Deus obtinet;
Aſpirat ſtudiis Ipſe etiam meis,
Nec non mirificis exacuit modis.
4 Illi multiplici ceu lue languidi,

Quae

(a) I. e. Electos.

Quae ſuffuſa animis alte inoleverat,
Reptavere ſolo; munere ſed meo
Morbis expliciti, mox iter arduum
Feſtinant rapidis carpere paſſibus.
Formati ſtudiis jam melioribus
En mores veteres, & vitia exuunt.
Coetus ſacrilegos, ſacra nefaria
Multa caede boum, ac ſanguine perlita
Non ultra patiar; Monſtra Deum execror,
Infanda, & pudor eſt nomina proloqui.
5 Unus pingue Deus mi patrimonium.
Unuſque eſt opibus charior omnibus,
Et menſa, & cyathis dulcior omnibus.
Tu mi legitimo nomine debitas
Servas divitias, tempore quas ſuo
Fidus reſtitues;
6 Te, Deus, Arbitro,
Ductis divideret cum bona funibus
Menſor, pars mihi lectiſſima contigit,
Et nunc ſorte fruor ditior optima,
Cum pro divitiis eſt Deus omnibus.
7 Illum laude feram, munere qui ſuo
Hanc mentem tribuit. Cum tenebris Polum
Nox atra obrueret, fervidus exciit
Me ſomni impatiens ardor, & optima
Ad quaeque erudiit, curaque pervigil
Vellens auriculas, admonuit Dei.
8 Praeſens ante oculos ſemper adeſt Deus,
Uſque haeret lateri individuus comes,
Ne quid vel trepidem, vel movear loco.
9 Exultans animus geſtit amabili
Senſu laetitae, linguaque gaudia

Lae-

Laeto vociferans ingeminat ſono.
Quin cum mors gelido frigore ſolverit
Seductum exanimi corpore ſpiritum,
Me ſpes in medio funere fulciet,
Et ſomno ſimilis membra premet quies.
Umbris non etenim triſtibus obrutum
Semper deſtitues; ſanctaque non ſines
Diſſolvi in tenuem corpora pulverem.
Qua vitam reperam, Te irremeabiles
Novi, dante, vias; Tu mihi perpeti
Perfuſa afficies pectora gaudio,
Vultu conſpicuo cum potiar tuo;
Et quae deliciis plena perennibus
Nullo fine ſcatet dextera; me quoque
Aeterno faciet munera divitem.

PSALMUS XVI.

Exaudi Domine juſtitiam meam &c.

Ab inimicis divexatus Dei opem implorat, ſuam innocentiam, eorum malitiam exponit.

1 SI bene quid merui, Deus, accipe juſta rogantis
Vota, meaſque jube pondus habere preces;
2 Stat vultu mea cauſa tuo; Te pendet ab uno
Judicium: quid fas exigat, ipſe vide.
3 Tu cordis latebras noſti; cum noctis opacae
Occulerer tenebris, Tu mihi teſtis eras.
Me quoque torſiſti explorans, velut igne metallum,
In me nulla tamen culpa reperta fuit.

4 Namque hominum mores, ſcelerum & contagia vito,
Et pudet illorum turpia facta loqui.
Dicta labris prolata tuis, tua nota voluntas
Difficiles recti ſuaſit inire vias.
5 Tu lubricos firma greſſus, Tu dirige euntem,
Ne via nutantes fallat iniqua pedes.
6 Saepius auditus rurſus voco: flecte benignam
Huc aurem, & votis nunc quoque mitis ades.
7 Admiranda mihi ſeſe Clementia pandat,
Qua Tibi confiſos clade levare ſoles.
8 Tecum res agitur, Tibi gens furioſa reſiſtit,
Et tua quem texit dextera, vexat adhuc.
Tu curam noſtri tantam gere, quanta tuendi
Eſt oculi, ſeu quid charius eſt oculo.
9 Me tege, ceu pullos alis complexa volucris,
Ne videant, hoſtes quos vetus ira facit.
10 Undique circumſtant, triplici praecordia ferro
Vincta rigent, jactant ora ſuperba minas.
11 Me prius expulerant, facto nunc agmine cingunt,
Nec pietas illos, relligioque movet.
Obfirmati animo non me, Caelumve, Deumve
Reſpiciunt, fixi lumina torva ſolo.
12 Vexarunt avida me exceptum fame, paratus
Ut praedae, laniat corpora rapta Leo,
Aut qualis catulus latitans ſub rupe leaenae
Geſtit inaſſuetam paſcere caede famem.
13 Surge, Pater, propera, tergo quique imminet, hoſtem
Anteveni, & pulchra decipe fraude dolos.
Hanc manibus vitam infeſtis, omnemque nocendi
Eripe vim; telis utitur ille tuis.
Te ſine quid valeat? tua fac deponat ut arma,
Quaeque tuam contra nititur haſta manum.

14 Exi-

14 Exigua ſontes ſecerne a plebe piorum
Nunc quoque,dum vitae tempora fluxa trahunt.
Per Te luxnriant; implet quae copia ventrem,
Illa fuere tuo condita dona penu.
Hos ſoboles numeroſa beat, cui tradere poſſint,
Quod ſupereſt, fuerit cum ſatura ingluvies.
15 At mihi ſola placet juſta, & ſine crimine vita,
Sic oculis optem poſſe placere tuis.
Mox Tua cum dulces recludet Gloria fontes,
Tunc ſatur, atque Tuo munere plenus ero.

PSALMUS XVII.

Diligam Te Domine &c.

1 *Gratias agit Deo ab omnibus inimicis ereptus, & praeſertim a Saule, vel Abſalone.*

2 PLus anima, Deus Alme, mea Te ſemper amabo
Praeſidium, columenque meum, meaque unica (virtus,
3 Inque omni tutela, ſalus, & vita periclo
Namque erit auxilio ſemper Deus: Ille mihi ſpes,
Ille meae vindex, aſſertor & ille ſalutis,
Semper & in rebus fidus defenſor iniquis.
4 Ergo Illi ſolvam laudes, illoque vocato
Salvus, & integris evadam viribus hoſtes.
5 Olim atri fulſere dies, cum mille pericla
Undique cinxerunt, deſperataque ſalute
Mortis in extremos me conjecere dolores;
Ac veluti lapſus montano vertice torrens,

Agmi-

Agmine ſic valido irrumpens ſcelerata propago
Me conturbavit trepidum, ac rationis egentem.
6 Qualia damnatos manes, umbraſque nocentes
Exercent tormenta Erebi ſub nocte profunda,
Talia me quoque torſerunt; jamque atra tenebris
Mors adoperta caput laqueis mea colla paratis
Implicuit, tractumque imas trudebat ad umbras.
7 In mediis tunc ipſe malis mea lumina Caelo
Erexi ſupplex, Dominumque in vota vocavi:
Protinus e ſupera vocem Deus audiit Arce,
Clamor & intentas ſonuit delatus ad aures.
8 Nec mora, contremuit tellus, emotaque ab imo
Cardine ſubſiluit, concuſſa cacumina montes
Motarunt, imis radicibus exturbati,
Tetraque Divini patuerunt ſigna furoris.
9 Apparet facies irati Numinis: Olli
Naribus erumpens ſinuoſa volumina prorſum
Fumus agit, flammaeque ardenti ex ore micantes
Proſiliunt; jamque ardet humus carbonibus atris
Obſita, quos ſummi ſuccendit vindicis ira.
10 Ecce Deus, Deus ecce venit; jam pondere Caelum
Omne gemit, jam ſub pedibus curvatur Olympus,
Queis nebulae ſeſe advolvunt caligine denſa.
11 Ipſe ſuper currum, nexis quem texuit alis
Caeleſtum Chorus, & dat terga premenda ſedenti,
Conſcendit, celeri emenſus ſpatia alta volatu:
Obſequium faciles venti, pennaſque volucres
Submittunt; rapidis volat ille citatior euris,
12 Spiſſis velatus tenebris, & nocte profunda
Abditus; obducti circum ſeſe undique nimbi
Agglomerant, picea & totum caligine condunt,
Nubibus e gravidis medio pluvia aere pendens.
Prae-

Praetendit latebras, oculis objecta tuentum.
13 At majeſtatis radiis percuſſa latentis
Scinditur extemplo nubes, ante ora Tonantis
Praeteriens; grando ſalit horrida, & horrida ſtridet
14 Carbonum vis ardentum, tum parte ſuprema
Intonuit Caeli Deus, & clamore locutus
Horrifico, totum ſonitu tremefecit Olympum:
Eu rurſum crepitat grando, rurſum emicat ignis;
15 Ille manu vibrat ardentes, ſua tela, ſagittas,
Et petit audaces, momento & diſſipat hoſtes,
Fulguraque ingeminat, bacchantiaque agmina turbat.
16 Protinus oſtendunt arentes flumina fontes
Jam vacua, exhauſtoque mari procul infima terrae
Fundamenta patent, ſic territa voce potenti
Fugit aqua; urget enim Divinae ſpiritus irae,
Inſequiturque furens trepidantem, atque omnia
perflat.
17 Tunc mihi de ſummo dextram miſeratus Olympo
Praebuit, & multis merſum prope ſuſtulit undis,
Jactatumque gravi tot tempeſtate malorum.
18 Tunc ego Divina ſoſpes virtute revixi,
Hoſtibus e validis, odioque ereptus iniquo
Bellantum, & tanta me vi, atque ardore prementium,
Ut noſtrae poſſent nil contra obſiſtere vires.
19 Illi equidem, quamvis nullo a me crimine laeſi,
In noſtras ultro conjuravere ruinas;
20 Sed Deus innocuum praeſenti Numine texit,
Concluſumque locis in lucem eduxit apertam;
Hoc Pietas, hoc fecit Amor: ſervavit in omni
Incolumem caſu, fuit Illi tanta ſalutis
Cura meae.
21 Sic cuncta mihi bene facta rependet,

Si bene quid merear. Cum nullo crimine dextram
Polluerim, ſtabit virtuti gratia, quando
22 Sancta Dei praecepta ſequi, Numenque verendum
Inſtitui factis nunquam violare nefandis;
23 Semper enim Illius memori mihi pectore fixae
Sunt in conſpectu leges, nulloſque jubentis
Praeterii nutus, nec jura ſacrata reſolvi;
24 Sic ſemper culpa vacuus, nullaque notandus
Labe, illi comes haerebo, ſcelus omne peroſus.
25 Ille vicem referens aequabit praemia factis,
Innocuaſque manus, quales bene novit, amico
Munere complebit; nam Tu, Pater optime, talem
Te praebes, quales nos intellexeris eſſe.
26 Si pius eſt quiſquam, pius es; ſi ſanctus, & ipſe
Sanctus es, es ſimplex, ſi ſimplex eſſe laboret.
27 At ſi quis fallax; ſi quis violentus, & aſper
Forte ſit, aſper eris, violentus, fallere prudens.
28 Quippe humiles animas pacato reſpicis ore
Auxilioque foves; oculos ſublime tuentes
Deprimis, obtutumque ſolo defigere cogis.
29 Si Tibi quid placeo, tua ſunt haec munera: mentem
Tu face colluſtras, oculis Tu lampada praefers.
Lampada Tu praefer, Tu noſtras pelle tenebras;
30 Te Duce, damna mihi vitare parata, tuoque
Numine praetentum valeam tranſcendere murum.
31 Juſtus nempe Deus nulla fuligine culpae
Inficitur puraque nitent quaecumque profatur,
Verba Fide, ardenti veluti ſpectata camino
Aurea lamna. Sibi confiſos Ille potenti
Auxilio tegit, & valido tutamine firmat;
32 Ecquis enim, Dominum praeter, Deus Aethere
regnat?

Quis

Quis noſtrum praeter Dominum, Deus Arce ſuprema
Intonat?
33 Ille mihi virtutem, animoſque viriles
Addidit, & forti pectus mihi robore cinxit.
Sic tamen, ut nulli nocuus ſine crimine vitam
Tranſigerem, ad facinus nunquam his male viribus uſus.
34 Ille pedes curſu celeres, praevertere cervos
Ille dedit, ſummoſque fuga conſcendere montes;
35 Ille meas ad bella manus velut arte magiſtra
Erudiit, validoſque humeros, validoſque lacertos
Aptavit, valido velut arcus aere rigentes.
36 Tu mihi Tu vitae cuſtos, tutorque ſalutis,
Et tua, ne caderem, ſuffulſit dextra labantem.
Quin etiam mihi Tu cenſor, vitaeque magiſter
Formaſti mores, formabis & uſque docendo.
37 Te faciente viam, greſſus proferre citatos
Semper, inoffenſoque datum procedere curſu,
Taedia nec, longaeque viae ſentire labores.
38 Magna hinc me cepit fiducia:
Perſequar hoſtes,
Tunc dixi, manibuſque traham poſt terga revinctis,
Nec pugna abſiſtam, donec ſuperaverit unus.
39 Diſijciam turmas, nec me conſiſtere contra
Audebunt, pedibuſque meis ſubjecta jacebunt
Corpora, tellurem rabido mordentia dente.
40 Nec ſpes vana fuit; Te dante in praelia vires,
Ante meos cecidere pedes tellure voluti,
Qui me ſunt auſi ſcelerato invadere bello;
Teque premente, fugam curſu arripuere citato,
41 Tergaque verterunt hoſtes; & quotquot iniquis
Certarunt odiis, foeda cecidere ruina.

42 Ad miſeras venere preces, ſed nulla ſalutis
Spes fulſit; ſero Dominum clamore vocarunt,
Nec tamen admovit ſurdas clamantibus aures.
Abſumpti periere; ex illis ſi qua ſuperſunt,
43 Cuncta ego comminuam, tenues ceu pulvis in auras
Spargitur, aeſtivo ſiccatum ut flamine coenum
Per fora conteritur, ſic nos delebimus hoſtes.
44 Tu velut ante, omni me ſeditione furentis
Eripies ſemper populi, extinctoque tumultu,
Me facies iterum genti dare jura rebelli.
45 Turpe nefas! hoſtras peregrinus, & advena leges
Sponte ſubit, praecepta volens & noſtra faceſſit;
46 At ſoboles perverſa fidem mutavit, & a me
(a) Deficiens populus levis, huc dilapſus, & illuc
Defluxit, veluti per ſylvas frigore primo
Autumni arentes labuntur ab arbore frondes,
Exceſſitque via, caeco per devia paſſu
Ingrediens, nihil officium, aut fas omne morata.
47 Vivit jo, vivatque, precor, Deus: Illius alte
Nomen fama ferat. Celebret Te fama, ſalutis
Auctor ſumme meae, qui me haud permittis i-
nultum,
48 Quique meas populos ſub leges ire coactos
Comprimis, & coeca late bacchantibus ira
Eripis incolumem, tutumque in ſceptra reponis.
49 Jamque adeo quiſquis me injuſto Marte laceſſat,
Vindice Te ruet; e mediis contra ipſe periclis
Clarior aſſurgam, manibus dilapſus iniquis;
50 Teque canam, Nomenque tuum, Rex ſumme
per omnes
Voce feram gentes: Te Carmina noſtra ſonabunt,
Te

(a) Vid. Bel.

Te lyra:
51 Vivat jo dicam, Deus ille, ſalutem
Qui Regis, famamque ſui munitque, fovetque
Sedulus, & ſacro perfuſum tempora olivo
Davidem miſerans tegit, & genus omne futurum.

PSALMUS XVIII.

Caeli enarrant gloriam Dei &c.

1 *Divinae potentiae, ac legis laudatio.*

2 NUminis laudes operoſa Caeli
Concinit moles, validaeque dextrae
Facta diverſa radiata luce
Sydera narrant.
3 Cum dies Caeli ſtatione cedit,
In diem laudes regerit ſequentem,
Noxque Divinam revoluta nocti
Indicat artem.
4 Nulla non audit Regio, nec ullus
Neſcit has voces populus, ſub axe
Quiſquis ignoto reboante frangit
Gutture verba.
5 Obſtrepit clarae ſonitus loquelae,
Quam patet late ſpatioſa tellus;
Ultimas orbis penitus repoſti
Implet & oras.
6 Cum vides Caelo rutilare ſolem,
Dixeris Regis ſolium ſupremi;

Ore ſic fulget, thalamo renidens
Sponſus ut exit.
Pulcher extremis Orientis oris
Prodit exultans; via devoratur
Longa currenti, veluti ter ampla
Mole Giganti.
7 Orbis emenſus ſpatia alta, ſeras
Vergit ad metas, radioſque circum
Spargit ardentes; fugit ora tantos
Nulla calores.
8 Magnus ut mundi eſt Opifex! ſed idem
Conditor legis minima carentis
Labe, quae foedis vitiata culpis
Pectora purgat.
Verba Divinis perarata chartis
Sunt fide nunquam caritura: diſcunt
Parvuli hinc recte ſapere, & virilem
Sumere mentem.
9 Norma ſunt recti ſacra jura: Quiſquis
Illa cuſtodit, fruitur ſerenae
Gaudio mentis, facit & beatum
Conſcia virtus.
Quae Deus juſſit ſapiens, decora
Luce virtutis rutilant, facemque
Praeferunt menti per iniqua coecae
Tempora Vitae.
10 Qui timet tantum violare Numen,
Sanctus hic vero timor eſt; fugaque
Temporum nulla minuendus, omne
Gliſcit in aevum.
Vera, momentiſque ſuis librata,
Quae Deus ſanxit, liquet eſſe. Recti

Vis

Vis ineſt ipſis, proprioque ſeſe
Jure tuentur.
11 Nulla vis auri, aut pretioſus illis
Conferat ſeſe lapis; his ſapore
Mella concedant, liquidoque plenae
Nectare Cellae.
12 Servus idcirco tuus illa curis
Servat intentis; neque parva facti
Me manet merces, meritiſque largus
Plura rependes.
13 Sed quis erratis bene pervidendis
Sit ſatis prudens? ſcelerum latentes
Terge Tu ſordes, ſcelerumque pravos
Pelle miniſtros.
14 Me niſi abreptum dominata vincat
Turba peccantum, ſine labe ducam
Innocens aevum, graviore quovis
Crimine mundus.
15 Tunc tibi noſtro placitura ab ore
Verba prodibunt, mihi ſemper alto
Pectore haerebis, meaque omnis in Te
Cura feretur.
Nam tuum eſt, ſi quid valeo, Tibique
Debitum: In rebus mihi Tu ſecundis
Mitis aſpiras, & iniqua longe
Fata repellis.

PSALMUS XIX.

Exaudiat Te Dominus &c.

1 *Vota pro Victoria, quam David ad bellum proficiſcens, ſibi auguratur, & Chriſto venturo praenunciat.*

2 SIc Te maximus audiat
Terrarum Dominus, quando aderit dies
Duris foeta laboribus;
Te magni auſpicio Nominis erigat
Jacobi ille patris Deus,
3 Sanctiſque auxilium de penetralibus,
Et ſancta ferat e Sion:
Prodi, atque intrepidus proſpera conſere,
Dux fortiſſime, praelia:
4 Sic quaecunque Deo lecta piacula
Supplex obtuleris, lites,
Quae nunquam ex animo deleat immemor;
Et quamcunque adoleveris,
Fumet grata focis pinguibus hoſtia;
5 Votis annuat, & tuis
Aſcriptor faveat conſiliis Deus:
6 Nos teſtabimur intima
Laetis, Te incolumi, gaudia vocibus,
Divino auſpice Nomine,
Tangentes alacri ſydera vertice.
Implebit Deus omnia,
Quae Tu cunque tuo jure popoſceris.

Certis indiciis ſcio,
Regem Rex hominum vivere vult ſuum;
Et quodcunque precabitur,
De ſanctis Superum ſedibus audiet,
Promptamque auxilio dabit
Adnixus valido robore dexteram.
8 Quadrigis alij citis
Fidant, aut celeri cornipedum fuga;
Spes nos erigit unica,
Appellare Dei Nomen amabile.
9 Illi, ceu laqueis pedes
Innexi, interea conciderunt ſolo;
At nos depoſiti gravi
Caſu, rurſus humo ſuſtulimus caput.
10 Ergo, ſumme Parens, age,
Regemque incolumem cladibus exime,
Et nos excipe ſupplices,
Qua Te cunque die in vota vocabimus.

PSALMUS XX.

Domine in virtute tua. &c.

1 *Deo gratias agit, quod Chriſtum protexerit, & gloria illuſtraverit.*

2 VIrtute tectus, ſancte Pater, tua
Rex plena fundet pectore gaudia,
Partaque gaudebit ſalute,
Te dubios prohibente caſus.
Quodcunque puto pectore foverat,
Voto eſt potitus, ſupplice quod ſemel

Eſt deprecatus voce, nunquam
Indecorem retulit repulſam.

4 Quin cogitatas praeveniens preces,
Tua obtuliſti dulcia munera,
Frontemque cinxiſti corona
Eximijs radiante gemmis.

5 Dura Ille mortis jam prope limina
Vitae rogavit tempora: ſupplici
Tu plura largitus, dediſti
Saecula non habitura metas.

6 Quanta at ſalutem gloria redditam
Mox conſequetur! Quod decus inclyti
Victoris! O quantus paratur
Egregio Capiti triumphus!

7 Quot Ille laudum materies! ſonant
Ut cuncta dignis ſaecula laudibus!
Ut gaudet aſpectu, potitus
Luce tui propiore vultus!

8 Sperat futurum Numine ſic tuo
Nec fallet ipſum ſpes ſua: Te piam
Praebente dextram, poſſidebit
Regna vices ſubitura nullas.

9 Quaerat latebras hoſtis: In intimis
Tua hunc latebris inveniat manus;
Late triumphatrix rebelles
Comminuet Tua dextra frontes.

10 Clauſis ut ardens ignibus aeſtuat
Horrenda fornax, ſic rabie impij
Caeca aeſtuabunt, cum videndum
Te rigido dabis ore Judex.

Tuus paventes diſijciet furor,
Terramque ad imam praecipites aget;

Et

Et mox ſepultos devorabit
Ignis atrox, avidaeque flammae.
11 Terra relictum germen ab infimis
Nefarium radicibus erues,
Et ſemen extirpabis omne,
Ne ſimiles generet nepotes.
12 In te pararunt ſacrilegi mala
Vertenda poſthac in caput impium;
Quae mente verſabant procaci,
Efficere haud potuere coepta.
13 Tu verſa retro terga fugae dare (a)
Coges adurgens, tum fugientibus
Adverſus occurres, adactis
Quae reliquae fuerant, ſagittis.
14 Rex magne Divum, ſurge potentia
Armatus omni: nos Tibi carmina,
Tuaſque virtutes canemus;
Saepe modos variante plectro.

PSALMUS XXI.

Deus Deus meus reſpice in me &c.

1 *Chriſtum patientem, & Cruci ſuffixum inducit loquentem.*

2 ME, Deus, ah noſter Deus, aſpice: linquere ſolum
Sic potes, in mediis exanimemque malis?
Heu video: ſpes affulget mihi nulla ſalutis,
Tot mea me peragunt improba facta reum.

(a) Tirin. aliique alii aliter leg., & explic.

3 Te toto inclamare die, Te nocte vocare
Nil prodeſt; ſurda reſpuis aure preces.
Ne tamen inſanus videar, qui talia poſcam:
Eſt aliquid tanto fidere poſſe Deo.
4 Sanctus es, & Sanctus locus eſt, ubicunque moraris,
O laus, o populi gloria ſumma tui!
5 In dura fuerunt Tibi fidere ſorte parentes;
Defuit in dura nec tua ſorte manus;
6 Ad te clamarunt, ſubitam invenere ſalutem,
Sperarunt facilem, ſpes neque caſſa fuit.
7 Me gracili dices reptantem corpore vermem,
Sic hominis ſpecies eſt mihi nulla ſuper.
Terrigenum videor probrum, atque infamia ſaecli
Meque facit ludum plebs maleſana ſuum.
8 Qui me cunque vident, laxant foeda ora cachinnis,
Me voce, & moto deſpiciunt capite:
9 Ille Deo fidit: Deus illum ſervet in ipſo
Funere, ſolicitat quando ea cura Deum.
10 Per Te ego, ſum dias eductus lucis in oras,
Tu ſpes materno ex ubere ſola mihi es.
11 In Te projectus cecidi genitricis ab alvo,
Reptavique tuo parvulus inde ſinu.
Tu mihi, Tu Deus es vel primo cultus ab ortu;
Ne diſcede: Deus Tu mihi ſemper eris.
12 Jamque ſuprema inſtat ſummi diſcriminis hora;
Nullus adeſt, miſero qui ferat aequus opem.
13 Turmatim indomiti latus obſedere juvenci,
Et validi incurſant fronte minante boves.
14 Utque furens leo rugitu nemora avia complet,
Sic in me rabido murmure dira fremunt.
15 Defluit effuſum pariter cum ſanguine robur,
Fracta velut fluidas urna refundit aquas.
Ge-

Genua labant, fractis vix haerent oſſibus oſſa,
Deficit & totus qui fuit ante, vigor.
Triſtitia, curiſque cor intabeſcit amaris,
Ceu fluit accenſis cera liquata focis:
16 Jamque mea exhauſtis virtus ſine viribus aret,
Aret ut exhauſto teſta liquore vacans.
Labra immota ſilent, & adhaeret lingua palato;
Mortis funereos jam prope ſum cineres.
17 Effugij via nulla patet; me dente maligno
Mille petunt, morſu dilaniantque canes.
In me concilio conſpiravere coacto
Invida gens, tantis nec ſatiata malis.
18 Inde meas ferro fodere manuſque, pedeſque,
Oſſaque per ſiccam ſunt numerata cutem;
19 Nudus eram, nudum luſtrarunt lumine corpus,
Omnia nec vetuit membra notare pudor,
Veſtimenta ſibi partiti noſtra ſciderunt,
Et tunicam ductis ſortibus urna dedit.
20 At Tu ſperatam ne ferre morare ſalutem,
Pronaque in auxilium lumina flecte meum.
21 Hanc gladiis animam, Deus, eripe, & unica quando
Reſtat adhuc, rabidi hanc eripe ab ore canis;
22 Sanguinea irati me ſervae fauce leonis,
Frontibus & miſerum ſubtrahe cornigeris.
23 Tunc ego rite feram ad noſtros tua Nomina fratres,
Atque tua in populo facta frequente canam.
24 Vos, queis cura Deus, dicam, laudate merentem,
Totaque Jacobo gens ſata, plaude Deo;
25 Hunc colat Iſacio ſtirps omnis ſanguine creta;
Non etenim ſprevit pauperis Ipſe preces.
Ora nec obliquans, averſatuſque vocantem,
Prona clamores ebibit aure meos.

Te

26 Te coram in magno laudes Tibi, Maxime, coetu,
Et reddam ſancto vota vidente choro.
27 Accumbet ſacris dapibus, menſiſque paratis
Grex inopum; expleta ſurget & inde fame.
Mox epulis functus, Numen laudabit amicum,
Aeternoſque dies tam bene paſtus aget.
28 Inde Deum recolent auctorem ab origine prima,
Quotquot ubique tenent Solis utrunque latus.
Illius & ſanctas gens advolvetur ad aras
Omnis, & ex omni prodita ſtirpe domus;
29 Nempe Deus cunctas unus dominatur in oras,
Unus & imperij publica froena regit.
30 Nec dites rerum dapibus prohibentur opimis;
Communi ipſi etiam ſubijcientur Hero.
Quotquot vitales hauſerunt luminis auras
Ante Illum flexo procubuere genu.
31 Haec mea, quaecunque eſt, vita Illi ſerviet uni,
Atque uni ſemen ſerviet omne meum.
32 Illius ad ſeros manabit fama nepotes,
Hi quoque poſtgenitis gaudia facta canent (a).
Grandia facta canent populo miranda futuro,
Quem Dominus proprium condidit ipſe ſibi.

PSAL-

(a) In Hebr., & Graec. non habetur vox *Coeli*, quae eſt in Vulgat.

PSALMUS XXII.

Dominus regit me &c.

1 *Eximia Dei benevolentia erga electum ſuorum gregem.*

2 ESt mihi Paſtor Deus: ulla rerum
Copia haud deſit, per opima ducto
Paſcua, herboſis ubi laeta campis
Gramina vernant.
3 Qua fluit leni placidus ſuſurro
Rivus, ardentem recreat per aeſtum;
Siquid errarim, monet evagantes
Vertere greſſus.
Me vias idem docet ire rectas
Se ducem praebens, comitemque; Nomen
Dulce Paſtoris, pietaſque tantum
Pectora mulcet.
4 Si qua me vis forte adigat, nigranti
Regna inhorreſcunt ubi Mortis umbra,
Nulla me inſtantum, duce Te, malorum
Turbet imago.
Sive per calles dubios virente
Me trahas virga, baculo morantem
Sive caſtiges, mihi blanda mulcet
Corda voluptas.
5 Ingruunt hoſtes, miſerumque vexant,
Nec mora eſt unquam, requieſve: fractis
Viri-

Viribus feſſo mihi menſam opimis
Inſtruis eſcis.
Neu voluptati quotacunque deſit
Pars, linis nardo ſyrio capillos;
Et mihi o quali pretioſa praebes
Pocula vino!
6 Quo pedes vertam, Tuam me ſequetur
Pone, nec ſolum Pietas relinquet,
Luce dum veſcar, reget & calentes
Spiritus artus;
Donec optatas habitare ſedes
Detur, aeterni penetrale Regis,
Quandiu alternum revoluta current
Saecula in Orbem.

PSALMUS XXIII.

Domini eſt Terra &c.

Indicans, qui ſint in Caelum aſcenſuri, Chriſti aſcenſum praenuntiat.

1 POtente terras imperio tenet
Rerumque quidquid terra parit, Deus,
Et totus ambit quidquid orbis,
Quidquid & hic habitat virorum.
2 Hunc vaſtas ſupra Tethyos aequora
Struxit, marinis undique fluctibus
Circumfluum, inſultare juſſum
Fluminibus, vitreoque dorſo.

3 Quis

3 Quis illa, tantus quae Deus incolit,
Montis beati ſcandere culmina,
Aedeſque, detecta ſerenat
Quas facie, poterit ſubire?
4 Qui labe puras abſtinuit manus,
Pectuſque, cui non vita abit irrita,
Juratus & nunquam fefellit
Fraude fidem ſemel obligatam.
5 Dei hic faventis Numine dextero
Utetur; olli ſe facilem dabit,
Piumque, ſperatanque rebus
Sponte feret miſeris ſalutem.
6 Haec illa felix eſt ſoboles, Deum
Cura perenni quaerere geſtiens,
Vultus & exoptans decoros
Numinis Iſacij tueri.
7 Gemmata jam nunc oſtia, Principes,
Et ſempiternos pandite cardines:
Rex gloria ſummus beatum
En properat penetrare Limen.
8 Quis iſte Rex, quae gloria? Nobilis
Virtute Princeps, atque potentia,
Bello ſubacti quem tyramni
Depoſitis venerantur armis.
9 Gemmata jam nunc oſtia, Principes,
Et ſempiternos pandite cardines:
Rex gloria ſummus beatum
En properat penetrare Limen.
10 Quae gloria, aut Rex? Armipotens Deus,
Ad bella prompti quo duce militant
Exercitus, hic eſt, opimo
Gloria quem revehit tryumpho.

PSALMUS XXIV.

Ad Te Domine levavi animam meam &c.

1 *Ad Deum converſus, petit peccatorum veniam, ad bene vivendum, & hoſtibus reſiſtendum auxilium.*

2 AD Te, Sator Divorum, & orbis Arbiter,
Meum levavi ſpiritum:
Cuſtos, mearum praeſes ac rerum, Tibi
Spes univerſas credidi.
Pudore ne ſuffundar indigno genas,
3 Hoſtes nec illudant mei;
Nam quotquot in Te collocant fiduciam,
Non fallet hos ſpes irrita:
4 Quin potius illos dignus occupet pudor,
Qui facta iniqua perpetrant
Nil profutura. Tu modo, quas perſequar.
Vias, rogatus indica,
Tuaſque monſtra ſemitas; ne devium
Incautus error auferat,
5 Tua ambulantem veritate dirige,
Tu, nequa peccem, me doce.
Mea Tu ſalus es: Te, levamen aſperis
In rebus, omni tempore
Mihi adfuturum credidi.
6 Pietas Tua,
Benignitaſque priſtina,
Qua nos amaſti ab ultima uſque origine
Mentem Tibi remordeat;

7 Mihi nec Te iniquum noſtra reddent crimina,
Quibus juventa inſorduit,
Errorque, pravae ac mentis imprudentia,
Quae me fefellit inſcium.
Quin ſempiterna cuncta, quae peccavimus,
Obliterent oblivia.
Tuam rogatus quaeſo per clementiam,
Et Sanctitatem per tuam,
Mei memento ſupplicis.
8 Proh quam bonus,
Quam dulcis eſt noſter Deus!
Peccantibus placatus, ultro devios
Rectam reducet in viam;
Suiſque monitis non reluctantes bona
Ad inſtituta diriget,
9 Miteſque mentes, corda flecti cerea
Suas docebit ſemitas.
10 Hoc eſt, quod uſque ſpectat ac ſtudet Deus,
Pietas, Fideſque plurima.
Legi ſuae ſtudentibus, ſanctiſſima
Colentibuſque foedera
Mundi Imperator multa promittit pius,
Promiſſa verax efficit.
11 Per Nominis, Rex magne, gloriam Tui,
Praebe meis placabilem
Piaculis Te, quaeſo, quamvis plurima
Sint illa, quamvis maxima.
12 Quis eſt, Deum qui ſedula colit fide,
Quis ille, cui dedit Deus
Certas agendi regulas, prout poſtulat
Suſcepta vivendi via?
13 O hic beatus! undequaque maximis
Large bonis ditabitur;

Et ſtirps ab illo creta multa fertilis
Soli obtinebit jugera.
14 Nam ſe verentium Deus firmiſſimum
Munimen eſt, tutelaque.
Teſtantur hoc percuſſa cum mortalibus
Satis ſuperque foedera.
15 Hinc ipſe ſemper ad Deum plenus ſpei
Suſpenſa tendo lumina;
Nanque ille noſtros explicabit vinculis
Paſſim latentibus pedes.
16 Aeterne Rector, me, miſertus aſpice,
Solumque, & omnium indigum.
17 Quot corde fervent in meo aegritudines,
Quanti malorum turbines!
Me, quaeſo, ab hiſce vindica, & ſerva malis,
Tot eripe e periculis;
18 Meque imbecillum reſpice, & certaminis
Longo labore languidum.
Errore lapſus, ſi quid & deliquero,
Fer mitis, ac dimittito.
19 Magno intuere ut inſtet hoſtis agmine
Odiis iniquis percitus.
20 Vitam meam tuere, ſerva me, obſecro,
Tanto eripe e diſcrimine.
Neu ſit pudori, non mihi detur probro
Opis tuae fiducia;
21 Nam plurimi, queis integra eſt, & nullius
Culpae ſibi mens conſcia,
Quod adfuturum Te mihi ſperaverim,
Comites dedere ſe mihi.
22 Ah libera, Deus, malis ab omnibus
Tuum Iſraelem, libera.

PSAL-

PSALMUS XXV.

Judica me Domine, quoniam Ego &c.

Apud Saulem accuſatus, quaſi Regnum appeteret, ac proinde apud Philiſtaeos exulare coactus, Deum Judicem appellat.

1 DE me, ſupreme Cognitor, dijudica,
Appello Te, nec conſcientia arguor;
Quod innocentes egerim ſemper dies;
Deoque fretus capitis haud cauſa cadam,
Sed improborum diluam calumnias.
2 Scrutare me, tormentaque admove, Deus,
Praecordijſque ſubde flammas intimis;
Et ſi quid in me labis haeret, excute.
3 Propoſita ſemper aſtat ante oculos meos
Tua ſumma Pietas, & mihi jucundius
Nil veritate, nil fuit potius tua.
4 Nunquam profanis ipſe miſtus coetibus
Sedi, nec unquam cum ſceleſtis ingredi
Delubra fictis Sacra Divis audeam.
5 Odi profanum vulgus, in nefaria
Sedere turba nulla vis me adegerit.
Pios ſed inter ſancta celebrabo atria,
6 Manus & undis abluam luſtralibus,
Araſque circuibo, Rex ſuperum, tuas;
7 Tuas ſonare ubique laudes audiam,
Choriſque miſtus mira de Te concinam.

8 Tuae verendus me capit decor domus,
Tuaeque ſedes dedicata gloriae.
9 Ne me, Deus, ne perde cum nocentibus;
Meamque vitam cum architectis caedium;
10 Illis mala referta fraude dextera
Scatet, doloſo plena quamvis munere.
11 At Ipſe labe vixi ab omni innoxius,
Rectaſque ſemper inſtiti vitae vias.
12 Cladi immerentem proin miſertus eripe,
Meamque mitis aſpice innocentiam.
Tuum inde ſanctis Nomen in conventibus,
Tuaſque ad aſtra voce laudes efferam.

PSALMUS XXVI.

Dominus illuminatio mea &c.

Cum adhuc a Saule vexatus exularet, ſe in Deo Confidere, & ad Caeleſtem potius, quam ad terreſtrem patriam aſpirare oſtendit.

1 LUmen, & noſtrae cynoſura vitae
Eſt Deus: quis me trepidare cogat?
Quas ego inſtantes timeam procellas
Vindice tanto?
2 Dum fera incurſat mihi gens, paratque
Dente mandendam laniare carnem,
Ecce defectis cecidit repente,
Viribus expers.
3 Caſtra conſiſtant inimica contra
Nil ego armatas metuam phalanges;

Bella conſurgant violenta, dextro
Numine fidam.

4 Nempe votorum fuit una, eritque
Summa noſtrorum, Domini ut beatas
Incolam ſedes, mihi dum ſuperſtes
Vita manebit;

Meque ibi verax recreet voluptas
Ex Dei vultu radiante manans,
Ejus & luſtrem propiore ſancta
Lumine templa.

5 Ille, tempeſtas mihi dum malorum
Turbida inſtaret, latebris paventem
Abdidit tutis, penetralis intra
Septa verendi;

6 Arce mox celſa, validiſque muris
Cinxit, & turmas dedit irruentes
Frangere, ut laetos agerem, ſubacto
Hoſte, triumphos.

Hinc ego ante aras agitante curſans
Gaudio, feſtas ſuper aſtra voces
Suſtuli, hinc ſemper Domino faventi
Carmina pangam.

7 Tuque clamores, Bone, Te vocantis
Supplices audi; Miſerare caſus,
Queis adhuc jactor, placidoque vota
Excipe vultu.

8 Cor meum Tecum loquitur, per omnes
Te mei partes oculi requirunt;
Quicquid occurrat, Tua ſemper optem
Aſtet imago.

9 Ergo ne averſo tuearis ore
Tam Tibi addictum; nec acerba ſervum,

Si quis incautum malus egit error,
Deſerat ira.
Tu meis vindex ades in periclis,
Fida ſpes, fractis columenque rebus.
Neve me ſpernas, Deus, una noſtrae
Ara ſalutis.
10 Me pater ſolum, genitrixque liquit,
Ceu parum firmo puerum ſub aevo;
Ipſe foviſti gremio receptum
Mitis alumnum.
11 Fac modo rectas doceas inire
Semitas, greſſuſque regas labantes,
Devium ne me, procul & vagantem
Opprimat hoſtis.
12 Ne voluntati populi furentis
Dede mactandum: mihi falſa teſtes
Perfidi affingunt, ſua ſed ſceleſtos
Lingua fefellit.
13 Nec malis vincor, neque vana ludit
Spes, fore, ut vita potiar beata
Ditibus terris, ubi nulla mortis
Jura timentur.
14 Spes cape ingentes, anime, & triumphos
A Deo expecta, neque cede damnis,
Ito ſed contra impavidus, Deoque
Fide faventi.

PSAL-

PSALMUS XXVII.

Ad te, Domine, clamabo &c.

Juſtum hominem, ac Chriſtum praeſertim exprimit ab impiis vexatum, quorum ruinam praedicit, Deoque liberatori gratias agit.

1 AD Te clamores imo de pectore fuſos
Attollam; ſurdo ne, mea Vita, canam;
Ne taceas, meque abiicias oblitus, ut illos,
Quos mors Lethaeis obruit atra vadis.
2 Vota libens audi; ſupplex tua Numina poſco,
Et tollo puras ad tua templa manus.
3 Ne me, quae meritos urget fortuna nocentes,
Ne me, quae ſequitur crimina, poena premat.
Pacem illi ſimulant, pacataque verba profantur,
At mala ſub tacito condita corde fovent.
4 At Tu mercedem, quam promeruere, repende,
Et vice fac penſes impia facta pari.
Exaequet ſua poena nefas, & debita redde
Praemia, quaeque aliis damna dedere, ferant.
5 Illis laeva fuit mens, nec deprendere novit
Mira tot Artificem, teſtificata ſuum.
Te ſciet ultorem; trahet impia turba ruinam,
Nullaque reſtituet, quae cecidere, dies.
6 Gratia Magna Tibi. Queſtus, & vota precantis
Audiit: en laeto fulgurat ore Deus.
7 Ille mihi cuſtos, opiferque; mihi omnis in Illo
Spes ſtetit, auxilio venit & Ille mihi.

Jamque mea antiquo revireſcunt membra vigore,
Et redit in venas vita recepta meas.
Ergo Illi grates tanto pro munere ſolvam,
Et laudes, animo verba movente, canam.
8 Nempe ſui virtus populi eſt Deus ipſe, ſalutis
Ipſe auctor, Regem protegit ipſe ſuum.
9 Serva age, Sancte, tuos, fidam Tibi reſpice gentem,
Et rege, & aeterna proſperitate bea.

PSALMUS XXVIII.

Afferte Domino Filii Dei &c.

Sive hic compoſitus ſit, quando David perfecit Tabernaculum, & in eo Arcam collocavit, ſive cum ſalutaris pluvia decidiſſet, hortatur populum ad Deum honorandum, cujus potentiam vocis deſcribit, ac per varias allegorias Evangelicae praedicationis effecta deſignat.

1 MUnera ferte Deo, Dei o certiſſima proles,
Munera ferte Deo, lectas mactate bidentes,
2 Ite Dei in laudes, aris imponite honorem,
Carmine divinum ſuper aethera tollite Nomen,
Auguſtum ſancta venerati Numen in Aede.
Quantum voce valet! Quae totum audita per orbem
3 Et glomerat nubes, & nubibus evocat imbres;
Ipſe autem media nimborum in nocte verendus
Majeſtate tonat; magnam demittit aquarum
Diluviem, qua rura natant, foſſaeque redundant;
Caeru-

Caerula tum pelagi turbat, fluctuſque ſonantes
Miſcet, & ex imo ſubvertit gurgite pontum.
4 Quanta illi virtus Voci! Quam mira loquendo
Efficit! In cunctis quae ſplendet gloria verbis!
5 Vox Domini nixas annoſo robore cedros
Frangit, & ingenti Libani ſylvaeque ruina
Dejicit, ac terrae nullo conamine ſternit,
Quamvis luctantes, quamvis contemnere ventos
6 Jamdudum aſſuetas, & fragmina ſpargit in auras,
Quam facile eductus Libani pubentibus herbis,
Et nondum torvae depulſus lacte parentis
Dividitur vitulus, cultriſque in fruſta ſecatur,
Sive tener pullus, truculentae gaudia matris,
Cui non turget adhuc uno frons aſpera cornu.
7 Vox Domini trifidos explodit nubibus ignes,
Et varias acuit flammas, penetrabile fulmen;
8 Vox Domini deſerta quatit, rupeſque revulſas
Eruit, & Cades ſqualentia concutit arva;
Dumque repercuſſo Caelum ciet omne fragore,
9 Saepe laborantes utero, incaſſumque gementes
Expedit ad partus cervas (a). Saepe, arbore multa
De Caelo tacta, denſos rareſcere ſaltus (b),
Detectiſque feras videas exire latebris
Excitas, aliaſque fuga ſibi quaerere ſedes.
10 Hinc divina ſonat percuſſo gloria templo,
Argumentum ingens laudum, populoſque per omnes,
Cuncta per ora volat, quacumque haec machina rerum,
(c) Templum immane, patet Divino Numine plenum.
Re-

(a) S. Hier. obſtetricans cervis. Chald. parturire facit cervas.
(b) S. Hier. & Hebr. revelans ſaltus.
(c) Ita Bellar.

Regnum in aquas late Deus obtinet: imbribus Ille
Cum libet, effuſis ſitientes irrigat agros,
Unde hominum generi, pecudumque alimenta miniſtrat.
Nec minus interea ſedet, aeternumque ſedebit
Cuncta movens, Solio ſemperque immobilis alto.
11 Inde ſuo tribuet populo inſuperabile bello
Robur, & egregios quovis ex hoſte triumphos,
Muneraque accumulans, poſitis longa otia bellis
Annuet, & laetis pacatum vivere rebus.

PSALMUS XXIX.

Exaltabo te Domine &c.

1 *Confirmato regno, arce Sionis extructa, domo regia magnificentiſme aedificata, graviſſimis malis, ac forte etiam peſtilentia liberatus, Deo gratias agit, & Chriſti, atque Eccleſiae gloriam praedicit.*

2 TE magne Caelo, Rex Superum, feram,
Me quod jacentem ſuſtuleris ſolo;
De me nec exoptata genti
Gaudia praebueris malignae.
3 Ad Te ſupinas extuleram manus,
Vocemque, cura ſaucius anxia;
Tu mite Numen, Tu paraſti
Lene animo medicamen aegro.
4 Quam pene Manes, regnaque triſtia,
Vidi ſilentum! Te Duce, pallida

Fluenta vivens enatavi,
A ſtygiis revocatus umbris.

5 Deo faventi dicite carmina,
Coetus piorum, dicite munera
Divinitus collata, ſanctum
Ex merito celebrate Nomen.

6 Si motus ira fulmina corripit,
Noſtra ultionem crimina provocant;
Ignoſcat ut, vitamque donet,
Ingenium, pietaſque ſuadet.

Poſt atra noctis nubila turbidae
Surget ſereno lumine Lucifer,
Umbraſque ſolvet luctuoſas
Laetitiae nova lux oborta.

7 Cum flaret aura ſors mihi dextera,
Laetuſque multis affluerem bonis,
Aeterna, dixi, me beabit
Proſperitas minuenda nunquam.

8 Per Te ſecundo turgida flamine
Stratum volabant per mare lintea,
Tuiſque fortunae ſerenum
Auſpiciis ſtetit omne noſtrae.

At vix retorques turbida lumina
Averſus ira, protinus omnia
Vertuntur ingenti tumultu,
Viſque mali me inopina turbat.

9 Clamore Caelum perditus impleo,
Et Te fatigo ſolicita prece,
Deumque compello, mearum
Praeſidium, columenque rerum.

10 Quid fuſus, inquam, profuerit cruor,
Quid noſtra clades, membra ubi marmore

Con-

Concluſa feralis ſepulchri
Putruerint reſoluta tabo?
Mutuſne, terra compoſitus cinis
Accepta per Te dona fatebitur,
Oraſque vulgabit per omnes
Vera tuae documenta legis?
11 Benignus aures applicuit Deus
Verbis rogantis: tunc pietas ſubit
Conſueta cordi, ſublevatque
Auxilio miſeratus aegrum.
12 Mutata feſto triſtia gaudio
Vertuntur; atris veſtibus obſitus,
Squalore deterſo, renidet
Laetitia ſinus affluere.
13 Quodcunque partum ſit mihi gloriae;
Quicquid bonorum, laudis erit tuae;
Cunctiſque defunctus periclis
Te recolam, Deus, omne in aevum.

PSALMUS XXX.

In te, Domine, ſperavi, non Confundar &c.

Fugiens perſequentem Abſalonem, Deum implorat, per quem a Saule fuerat liberatus, ejuſque ſibi auxilium, & impiorum punitionem promittit.

1 IN Te locavi ſpem; nec illa decidam,
Dum ſera volvent ſaecula.
2 Ut juſtus es, tua aequitate libera
Innoxium periculis.

3 Aures vocanti accomoda, celera gradum,
His me malis ut explices.
4 Tu murus eſto, Tu mihi arx ahenea,
Meam ut ſalutem protegas.
Tu noſtra virtus, urbſque munitiſſima,
Tutuſque perfugio locus.
Nomen rogatus per Tuum, quieſcere
Tuto in receptu me dabis.
Fameque feſſum, languidumque praebitis
Enutries cibariis;
5 Abſconditiſque me explicabis vinculis,
Aſſertor, ac vindex meus.
6 Servatus a Te, hunc ſpiritum trado Tibi,
Aeterna cui conſtat fides.
7 Tu vana ſpernis conſulentes ſomnia,
Et ſpes alentes irritas.
8 In Te mihi ſpes una; mihi pietas tua
Sperata ſpondet gaudia.
Gravi malorum conſpicatus obrutum
Me ſublevaſti pondere;
9 Meamque vitam vendicaſti in maximas
Rerum redactam anguſtias,
Nec paſſus, arcte me teneri ab hoſtibus
Concluſum, aperta liberis
Per ſpatia me dediſti abire greſſibus,
Quocumque ferret impetus.
10 Miſertor ergo rurſus: heu premor miſer
Duris, ut ante, cladibus.
Irae tuae timore turbata innatant
Spiſſis tenebris lumina.
Victus dolore ſpiritus contabuit,
Jam defluunt praecordia;

11 Abſumpta luctu vita conſenuit gravi;
Annos gemendo perdidi;
Me ſumma egeſtas conficit, membris vigor
Dilapſus, oſſa corruunt.
12 Factus ſuperbis hoſtibus ſum fabula,
Toti jocus viciniae,
Timorque amicis, ne, mihi ſi adhaeſerint,
Iiſdem obruantur cladibus;
13 Videre quotquot exulem, extorrem, procul
Cepere, me viſo, fugam;
Oblivione ſum ſepultus perpete,
Ceu caſſus aura luminis;
Sic deſpicatum quiſque me pede improbo,
Ut fracta vaſa, proterit;
14 Circumque commorantium convicia
Hauſi ipſe ſaepe his auribus
Coiere coetus impii, & contra meum
Conſilia ceperunt caput;
15 Sed ſpes ego nunquam futuras irritas
Tibi, Pater, concredidi;
16 Meuſque, dixi, Tu Deus; verſat tua
Meaſque ſortes dextera:
Tu me hoſtium de manibus ergo eripe;
Iraque perſequentium,
17 Tuumque ſervum, quo ſerenas nubila,
Ridente vultu, reſpice.
Antiqua pietas, corde ſi ſedet tuo,
Me ſervet illa ſoſpitem.
18 Ego Te vocavi: vota ne, quaeſo, mea
Venti fugaces diſſipent.
(a) Gens erubeſcat impia, & ſub pallidos
Trudatur Orci gurgites.

(a) Achitophel 2. Reg. 17.

Aeterna comprimantur in ſilentia
Exercita ora fraudibus,
19 Quaeque innocenti ficta texunt crimina,
Certa immerentem perdere;
Tantus bonorum corda contemptus tenet,
Tanta inflat arrogantia.
20 De Te, Deus, dulcedo quanta profluit,
Servata Te timentibus!
Sed maxima iis conceditur, fiduciam
Qui collocant in Te ſuam,
Spectante, & admirante multitudine
Vecordium mortalium.
21 Illos Tibi junctiſſimos ſacra teges
Vultus Tui caligine.
Nulla hic timebunt damna, nec volubiles,
Humana quae turbant, vices;
Linguaſque temnent improbas, in intimis
Domus tuae receſſibus.
22 Deo perennes ergo ſolvam gratias
Partae ſalutis conſcius;
Qui mira ſummae ſigna pietatis dedit,
Meque arce cinxit ferrea.
23 At ipſe multis mente dejectus malis,
Inopſque factus conſilj,
Contemnis, inquam, me Deus, me negligis
Ab ore projectum tuo;
Tuque adeo, adeſſe Te meis clamoribus
Teſtatus, audiſti preces.
24 Vos itaque, Sancti quotquot eſtis, tam bonum
Amate, tam juſtum Deum.
Fidem colentes ſervat, inſolentibus
Vicem rependet affatim.

35 Durate fortes, ſpirituſque ſumite,
Quotquot Deo confiditis.

PSALMUS XXXI.

Beati, quorum remiſſae ſunt &c.

Peccatum ſuum deflet, alioſque ad poenitentiam hortatur.

1 FElices Animae, quibus omnis noxa remiſſa eſt,
Merſaque perpetua crimina nocte latent!
2 Felix, erratum cui non Deus imputat ullum,
Nullaque fraus imo condita corde ſidet!
3 Hei mihi, cur tacui infelix, dudumque fateri
Inſanus vetuit facta nefanda pudor?
Inde dolor, qui me nunc macerat, oſſaque frangit,
Dum totos clamo, quae tacui ante, dies.
4 Me manus admonuit tua, dum graviore flagello
Ingeminas plagas nocte, dieque mihi.
Denique ad officium revocavit poena dolentem,
Et quae ſpina animum punxit adacta meum;
5 Aerumna doctus Tibi facta nocentia pando,
Et patior tacito nulla latere ſinu.
Crimina ſponte Deo, dixi, patrata fatebor,
Ipſe actor, ſceleris teſtis & ipſe mei.
Nec mora, Tu veniam faſſo impertiris, & omnis
A Te delicti gratia facta mihi eſt.
6 Proin Te vir bonus, ac frugi prece flectere tendet,
Tempora dum veniae commodiora fluunt,

Ut cum diluvies Caelo ruet atra malorum,
Stet procul, ac parcat laedere turbo minax.
7 Tu mihi perfugium, dum conjurata paventem
Agmina circumſtant, perniciemque parant.
O mihi laetitiae ſeges una, hanc disjice peſtem,
Quae noſtrum obſedit conglomerata latus.
8 Ne timeas; docilem perfundam lumine mentem,
Et tutam oſtendam, qua gradiare, viam:
(Sic curas dictis demis ſolatus amicis)
Advigilant vitae lumina noſtra tuae.
9 Haec audite, mali; nec, qualis calcitrat, atque
Injecta indomitus froena recuſat equus,
Neu, qualis negat hortanti parere magiſtro.
Mulus iners, tanti ſpernite verba Dei.
Non illis ratio, non mens, ſed bruta libido
Imperat; his homines non pudet eſſe pares?
At Tu froena illis, adſtrictaſque injice habenas,
Qui Te detrectant, & tua jura ſequi.
10 Mos Tibi multiplici ſontes urgere flagello:
Qui domino fidit, ſentiet ille pium.
11 Inſtaurate Deo choreas, & gaudia, Juſti,
Laetitiamque, quibus conſcia vita facit.

PSALMUS XXXII.

Exultate juſti in Domino &c.

Hortatur homines juſtos, ut Deum laudent, ob ejus maximam potentiam, providentiam, & bonitatem.

1 Laeti jo Numen celebrate, feſtos
Numini plauſus geminate, quotquot
Vivitis, Juſti: decet ora laudes
Juſta ciere.
2 Barbiti chordis ſociate cantus,
Et Deo ſacros moduletur hymnos
Curva teſtudo reſonare denis
Callida nervis:
3 Non prius dictum meditata carmen
Lingua diſcordes numeroſa voces
Rite componat, tremulis reſultent
Pulſibus aurae.
4 Cuncta, quae ſancto Deus ore profert,
Recta ſunt, rectis quoque cuncta dictis
Facta reſpondent, fideique certo
Pondere conſtant.
5 Eſt Deo cordi pietas, amicum
Eſt Deo juſtum: pietate tota
Sed ſcatet tellus, pietate totus
Affluit orbis.
6 Ille Caeleſtes ſinuavit axes
Voce firmatos; ſimul ore flavit,

Sparſa coeperunt radiare toto
(a Sydera Caelo.

7 Aequora obductis ſpatiata terris
Litore arctavit, veluti liquorem
Utre concluſum, loculiſque vaſtas
Condidit undas.

8 Ergo Regnantem vereatur omnis
Quam patet tellus, trepidi pavore
Palleant, quotquot videt ex utroque
Gurgite Phoebus.

9 Vix enim prima ſonat ille voce,
Cuncta vitales ſubeunt in auras;
Vix jubet, formas ſubito recentes
Omnia ſumunt.

10 Magna molitos animos, & acri
Coepta ſubvertit meditata cura,
Principum mentes, nec amica veri
Pectora turbat.

11 Mente ſed quidquid ſemel ille fixit,
Nulla volvendo variabit aetas;
Quod ſemel ſedit, ſubeunte firmum
Permanet aevo.

12 Gens ter o felix, colit imperantem
Quae Deum terris, populuſque felix,
Quem Deus legit, propriumque certo
Pignore fecit!

13 Cuncta de ſumma ſpeculatus arce
Quam ſibi extruxit, poſitos in omni
14 Parte terrarum populos aperta in
Luce tuetur.

15 Ipſe enim mentes, animoſque noſtros,
Singula & finxit ſua cuique corda,

(a) S. Hier. pro *virtus* vertit *ornatus*.

Quaeque per coecas gerimus tenebras,
Omnia novit.

16 Viribus non Rex, numeroque magno
Militum fidat, ſua non Giganti
Proderit virtus, neque firma vaſtae
Robora molis.

17 Quamlibet crurum levitate pernix,
Nil equus certam valet ad ſalutem,
Quin ſuo praeceps ruat ipſe curſu,
Seſſor & una.

18 At Deus miti pius ore ſpectat,
Quos ſibi dicto videt audientes,
Quique Divina pietate freti
Caetera ſpernunt.

19 His adeſt, cunctis vigil hos periclis
Eripit, certae manibuſque mortis;
Tum fames ſi fors premat atra, victu
Paſcit egentes.

20 Noſtra, ſic ſecum pia turba, dextro
Spes Deo nixa eſt; juvat hinc ſalutem
Quaerere; hic nobis opifer, maloque
Tutor in omni.

21 Gaudia ex illo repetita Fonte
Influent noſtris penitus medullis;
Haec ſpei merces erit in potenti
Nomine fixae.

22 Tu, Deus, noſtros miſerans labores
Dona ſperatae pietatis in nos
Confer, & quantum ſibi mens favoris
Augurat, imple.

PSAL-

PSALMUS XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore &c.

1 *Cum Saulem fugiens ad Achis Regem Philiſtaeum profugiſſet, & paratam ab eo necem per inſaniae ſimulationem evaſiſſet, tanto periculo liberatus Deo gratias agit, alioſque ad Dei amorem, ac fiduciam hortatur.*

2 REgis Deorum Numen amabile
Per cuncta gratus tempora, concinam,
Ejuſque laus vulgata noſtro
Perpetuo reſonabit ore.

3 Quiſquis canentem me audierit, Deo,
Mihique laetis plauſibus aſtrepet:
Exaudiant mites, nec ullam
Vim ſibi jam veriti, triumphent.

4 Mecum potenti plaudite Principi,
Magnoque laudes dicite Nomini;
Dulce, & decorum, promerentem
Unanimi celebrare voce.

5 Vocatus atro in turbine temporum
Votis rogantis protinus annuit,
Deditque commotos malorum
Incolumem tolerare fluctus.

6 Quos terra turbant nubila, vertite
Huc ora, fulgens unde micat jubar;
Nec Vos ad iſtam poenitebit
Spe vacua properaſſe lucem.

7 Ego ille rebus pauper in aſperis
Supina caelo brachia ſuſtuli;
Deuſque ſolamen dolori
Attulit, eripuitque cladi.
8 Deum timentes praeſidio teget
Demiſſus aſtris miles, & undique
Munita ut intra caſtra, ſeptos,
Cuncta dabit ſuperare damna.
9 Guſtate quali nectare perfluat,
Quantis abundet deliciis Deus:
O ter beatus, qui favente
Cuncta Deo ſibi laeta ſpondet!
10 Vim praepotentis juraque Numinis
Timete, tellus quotquot alit, pii:
Deum timentes nulla rerum
Pauperies maleſuada vexat.
11 At dives ipſas inter opes inops;
Quas ſemper optat, divitiis eget:
Deum requirentes, in uno
Nulla ſibi bona deeſſe cernent.
12 Adeſte, & autem advertite, Filii,
Et Sancta Patris diſcite dogmata:
Dei timorem vos docebo,
Quaeque ab eo bona fonte manant.
13 Num quis beate vivere te cupis,
Et vera vitae commoda conſequi,
Alboque ſignatas lapillo,
Quotquot eunt, numerare luces?
14 Compeſce pronam cautus ab improbo
Sermone linguam, neu mala ſuadeat
Fraudes libido te per artem
Blandiloquis operire verbis,

15 Omni

15 Omni remotus flagitio procul
Inſiſte rectas officij vias,
Et, nulla quam turbet cupido,
Compoſita cole mente pacem.
16 Rectum, & tenacem juſtitiae virum
Deus benigno lumine reſpicit,
Et mente conceptas pudica
Aure preces pius haurit aequa.
17 Torvo at nocentes lumine deſpicit,
Infanda certus nomina tradere
Oblivioni, omnemque famam
Perpetua ſepelire nocte.
18 Caelo querelas gens pia ſuſtulit,
Victuſque caſtis eſt precibus Deus,
Rerumque deduxit per omnes
Incolumem, ac ſine fraude caſus.
19 Praeſens amico Numine protegit,
Quos dura vitae diſcruciant mala,
Et ſervat immunes pericli
Corde humiles, animiſque fractos.
20 Adverſa jactant plurima non ſemel
Juſtos, nec ullo crimine noxios:
Sed Numen illos aſperarum
Expediet per acuta rerum.
21 Quin oſſa eorum ſingula pervigil
Cuſtodit, urna condita lugubri:
Compage membrorum ſoluta
Non avidum teret illa lethum.
22 Mors comparatur peſſima ſontibus:
Et quiſquis aſpris uſque odiis bonos
Exercet, aeterno merentem
Exitio ſua facta mergent.

23 Devo-

23 Devota vindex at ſibi pectora
Deus malorum nexibus eximet,
Deoque ſuſtentante, numquam
Deficiet labefacta virtus.

PSALMUS XXXIV.

Judica Domine nocentes me &c.

Divinum judicium contra oppugnatores ſuos implorat quorum infelicem exitum vaticinatur, & Chriſti contra perſecutores ſuos deprecationem adumbrat.

1 QUi injuſto innocuum judicio premunt,
Juſto hos, Rex ſuperum judicio preme;
2 Qui mecum tabida bella gerunt manu,
Hos contra valida bella manu gere;
3 Sume arma, & clypeum, telaque corripe,
Et noſtro propior praeſidio veni;
Vagina gladium fulmineum eripe,
Praetenta inque acies irrue cuſpide.
Quae certant odiis perdere me ſuis;
Noſtrae dic animae: ſum tua ego ſalus.
4 Illos torpor iners, & pudor occupet,
Qui quaerunt animae perniciem meae;
Et retro referant attoniti pedem,
Qui nectunt tacitos mente mihi dolos.
5 Atque illos facies ſic tua diſſipet,
Ut ſpargunt volucrem flamina pulverem;
Per-

Percuſſorque humeris aliger irruens,
Nullam det miſeris aut requiem, aut moram;
Nulla uſquam pateat tuta fugae via,
6 Sed circum tenebris obſita inhorreat,
Ut nil provideant, quo moveant pedem;
Tum veſtigia per lubrica corruant,
Caedente aethereo terga ſatellite.
7 Namque illi exitio diſpoſitos meo
Caelarunt laqueos, inque meum caput
Congeſſere, nihil tale merens, probra;
8 Aſt illos laqueus mox ſuus implicet,
Et, quas jam pedibus nexuerant meis
Excepti inſidiis, compoſitam mihi
Vertant in proprium perniciem caput.
9 Mens at noſtra Deo geſtiet auſpice,
Nec fonte ex alio laetitiam hauriet,
Quam quo certa ſalus, vitaque profluit.
10 Ipſa oſſa exilient, quoque valent, modo:
Quis, dicent, Deus o, quis ſimilis Tibi?
Qui fractis inopem viribus eripis
Ex hoſtis manibus viribus integri,
Nec praedas agere, aut exuvias ſinis
Victorem timido demere pauperi.
11 Cum cauſam implacido judice dicerem,
Teſtes compoſito crimine callidi
Surgunt, & ſcelerum, quorum ego conſcius
Mi nunquam fueram, me faciunt reum.
12 Haec tot pro meritis praemia reddere
Curavere, bonis ut viduae omnibus
Eſſet nil animae jam reliquum meae.
13 Cum multa afficerer ſaepe moleſtia,
Squalenti illuvie, ac ſordibus obſitus,

Et

Et veſte ingrediens triſtis in horrida;
Producta domui membra diu fame;
Laſſavi precibus ſydera plurimis,
In noſtros iterum, quae fluerent ſinus,
Coeleſtique animum munere ſpargerent;
14 Quin ipſos etiam talis in aemulos,
Tam miti ingenio, tam pius extiti,
Qualis fratribus, aut eſſe ſodalibus
Vix umquam potui; Mater ut incubat (a)
Languenti lacrymis uvida filio,
Me luctu implicitis non ſecus hoſtibus
Demiſi illacrymans, ac gremio fovens.
15 Contra illi miſeris gaudia caſibus
Captantes, lateri ſe agglomerant meo,
Et multo lacerant verbere neſcium.
16 Coeptis at mediis ecce ſupervenit;
Concurſumque Deus diſſipat impium;
Ad ſe non animus propterea redit.
En rurſus rabies: Caedere quem flagris
Aegre deſtiterant, nunc onerant probris,
Et ſannas patulis rictibus ingerunt,
Atque in me rabidis dentibus infremunt.
17 Quandó haec aſpicies? Hanc, Deus, improbis
Hanc educ animam faucibus; unica haec
Ne detur cupidis praeda leonibus.
18 Solvam pro meritis tunc ego gratias
Ingenti in populo, quo innumerabiles,
Ut Te concelebrent, conveniunt pij;
19 Hoſtes dum modo ne funere gaudeant
Noſtro, qui immeritum perdere geſtiunt,
Flagrantes odio, luminibus tamen

Blan-

(a) S. Hier. ex Hebr. quaſi lugens mater, triſtis incurvabat.

Blandis perfidiam condere callidi;
20 Sunt viſi ſpeciem pacis amabilem
Mecum compoſitis fingere vocibus,
Iram ſed latebris cordis in intimis
Caelantes, tenui murmure ganniunt;
Et verſant tacitos, queis capiar, dolos,
Vivo ut coeca ciens ſulphure murmura (a)
Rimis flamma cavis ſubter humum latet;
21 Tectus non ita poſt proſiluit furor:
Diductis rabidi faucibus allatrant,
Et buccis revomunt virus hiantibus:
Quod votis fieri optavimus omnibus,
Euge Euge hoc avido lumine vidimus.
22 Scis me vera loqui; Cuncta fidelibus
Spectaſti haec oculis. Rumpe ſilentia
Jamdudum, miſerum neu procul abjice.
23 Surge, & judicio, quo premor, ac meae
Cauſae adjunge animum; rectus, & Arbiter.
24 Rem pro juſtitia fac dirimas tua,
25 Ne noſtra tumidi clade ſuperbiant
Hoſtes, laetitia pectus & ebrii
Sic plaudant animae naufragio meae:
Euge! infra exanimos ille jacet greges;
Euge! illum cupida fauce voravimus;
26 Imo ipſis facies inficiat rubor,
Qui noſtris agitant gaudia de malis;
Nec ſolum facies, velet at inſolens
Illis tota pudor corpora, qui meis
Seſe magnifice cladibus efferunt;
27 Aſt illis bene ſit, plenaque jugiter
Effuſo exiliant pectora gaudio,
Queis cordi integritas eſt mea; vindicem

(a) Hebr. ſuper ſciſſuras terrae.

Et certent Dominum tollere laudibus,
Quos pacis ſtudium ſollicitat meae.
28 Indulgens ſimili tunc ego gaudio,
Te juſtum merito carmine concinam;
Atque in perpetuum nulla fluet dies,
Quin ſignata tuis laudibus inſonet.

PSALMUS XXXV.

Dixit injuſtus ut delinquat &c.

1 *Summam impiorum malitiam, Dei miſericordiam, & juſtitiam, bonorum felicitatem deſcribit.*

2 IMpius inſanas agitans ſub pectore curas,
Conſtituit foedis animum corrumpere culpis,
Non etenim juſta penſantem lance nocentes
Cogitat eſſe Deum, metuit nec vindicis iras.
3 Quin ſpectante ipſo, fraudes, & coepta peregit
Subdola: ſed non haec oculis Deus aſpicit aequis
Diſſimulans; Tectam falſo ſub pectore vulpem
Detegit, atque odiis uſque inſectatur acerbis.
4 Ille autem indignis addens verba improba factis
Nexuit ore dolos, nilque eſt, niſi iniqua, profatus.
Vis arcana animum quamvis percelleret aequi,
Quamvis conſiliis monitor non deeſſet amicis
Naturae vocem ſuadentis recta refugit,
Formari ſtudio nil ſe meliore laborans.
5 Languida componit molli dum membra cubili,
Inſomni ſolitas meditatur pectore noxas;
Et quaecunque via, aut aperit quaecunque nocendi

Se ratio, huc animum, curaſque huc adjicit omnes.
Non illi turpis viſa, aut inamabilis ulla
Peccati facies, tanta eſt peccare libido.
6 Sed major Tibi, ſumme Parens, aequataque Caelo
Eſt pietas, nubes tua vincit, & evolat ultra
7 Juſtitia, excedunt ſummi ceu nubila montes.
Judicio quodcunque tuo decernis, ut alta
Nocte latet, multaque fugit caligine viſus!
8 Te liquet eſſe pium: Nec ſolum humana tueris
Corpora, ſed paſtu reficis jumenta parato.
Quanta tuae praebes pietatis pignora! quantis
Ingratos etiam cumulas, Pater optime, donis!
Hinc hominum genus omne tuis recubare ſub alis,
Implumes veluti pulli, feſtinat, ibique
Omne bonum, & largos jam nunc dulcedinis hauſtus
9 Aethereae ſperat, quae ſuavi pectora guſtu
Ebria perfundat, praeguſtandaſque propinet
Delicias, tua magna domus quibus affluit: illic
Largior undabit torrens, eademque voluptas
Potabit cupidos, quae Te ſatiatque, beatque;
10 Omnis enim Tu fons vitae, fons luminis idem,
Per quod inacceſſam fas nobis cernere lucem.
11 Egregia pietate tuos complectere, quotquot
Te norunt, Numenque tuum, Nomenque fatentur,
Juſtitiam & meritis reddentem praemia diſcant;
Queis cura eſt puram ſervare a crimine vitam.
12 Ne mihi ſeſe addat comitem, accedatque ſuperbus,
Neve manum admoveat, ſtatione aut cedere cogat
Impius, & coeco raptet per devia greſſu.
13 Namque ibi collapſi, quotquot furioſa libido
Egit praecipites, triſtem traxere ruinam,
Atque in perpetuum pulſi felicibus oris
Amiſſas nunquam potuere reviſere ſedes.

PSALMUS XXXVI.

Noli aemulari in malignantibus &c.

Praecepta ad bonos confirmandos, ne malorum falſa felicitate decipiantur, cum vera bona a Deo unice ſperanda ſint.

1 NE tibi dirus amor, ſubeatque inſana cupido,
Aemulus ut ſtudeas improba facta ſequi.
Laſcivire vides ſi quando impune nocentes,
Ne mordax animum torqueat ira tuum.
2 Sole ſub ardenti ceu prata undantia foeno,
Molle velut, ſiccis fontibus, aret olus;
Haud ſecus hos dicto citius languere videbis,
Et ſubito afflictos procubuiſſe ſolo.
3 Si felix cupis eſſe, Deo ſpes haereat omnis,
Et fluat exemplis vita peracta bonis.
Tunc cole ſecurus terras, tunc otia carpe;
Ipſe ſuas large ſuppeditabit opes,
4 Ille voluptatum, votorum ſumma tuorum
Ille ſit, optatis annuet Ille tuis.
5 Si qua tibi acciderint, Domino refer omnia fidens;
Fidenti auxilium protinus Ille feret.
6 Tunc tua ſe integritas manifeſto in lumine prodet,
In medium erumpent tunc benefacta diem.
Ore ſilens Domino cervicem ſubde jubenti;
Tantum humiles imo pectore funde preces;
7 Neu te diſcrucies, aura ſi dextra ſecunda
Fortuna injuſtum tollat ad aſtra virum.

8 Pone iras, tumidumque animo compeſce furorem;
Culpa nihil, felix unde putetur, habet.
9 Impius exitio dabitur: manſura tenebit
Is bona, ſpes cui ſtat fulta juvante Deo.
10 Parva mora eſt; nuſquam malus eſt; veſtigia quaeras,
Sed nullo videas nulla relicta loco.
11 At patiens, mitiſque animo, quoſcumque crearit
Terra ferax, haeres certus adibit opes.
Condet & innubes tranquilla per otia ſoles,
Laetaque perpetuae tempora pacis aget.
12 Improbus innocuum ſtudio obſervabit inani,
Et rabidis ringens dentibus ore fremet.
13 At Deus illudet ſtulto; nam proſpicit illi
Fatalem interitus haud procul eſſe diem.
14 Agmine conferto gladium eduxere nocentes,
Suſpendere arcu ſpicula certa ſuo;
Stat miſerum, atque inopem jactis configere telis,
Innocuaque truces ſpargere caede manus.
15 Verſus in auctores ſed pectora ſauciat enſis,
Et diſrupta arcus cornua diſſiliunt.
16 Praeſtiterit parvo contentum vivere juſtum,
Quam ſcelere aggeſtas condere divitias.
17 Namque erit, attrito jaceant ut robore ſontes,
Utque Deo vigeant auxiliante, boni.
18 Innocuos probat ille dies, vitamque pudicam,
Datque frui patriis tempus in omne bonis.
19 Triſtia non illos frangent, non turpis egeſtas,
Largaque in anguſta ſuppetet eſca fame.
20 Culpa malos perdet: male parto turgida honore
Cum caput extulerit gens inimica Deo.
Deficiet, veluti tenues vaneſcit in auras
Fumus, & ad nihilum, dum petit alta, redit.

21 Mutua ſaepe rogat, nec habet qui debita ſolvat
Improbus; at juſtus, quae bona donet, habet:
22 Ille beatus erit, cujus laudatur ab ore,
Ille miſer, cujus laeditur ore Deus.
23 Hic hominem nutu reget, ac deducet euntem,
Per ſibi monſtratas ibit at ille vias.
24 Si cadat, haud triſti collidet membra ruina;
Suppoſita fulcit nam Deus ipſe manu.
25 Cum mihi adhuc prima vernaret mala juventa,
Mox & ubi infecit cana ſenecta comas,
Nunquam deſertum vidi aevum ducere juſtum,
Nec ſobolem modicos ore rogare cibos.
26 Quin pius ingentes aliena in commoda gazas
Erogat, inde bona prole beatus erit.
27 Improba devita, ſectare innoxia facta:
Perpetuo terras, & tua rura coles.
28 Chara Deo integritas: cultorem haud deſeret aequi,
Salvus & aeternos exiget ille dies.
Injuſti poenas ſancto ſub judice pendent,
Progenieſque patrum crimina clade luet.
29 At juſtis tellus habitanda obtinget in aevum,
Haeredi tanquam debita jure ſuo.
30 Innocuis meditata fluet ſapientia labris,
Nec, niſi recta, ſciet candida lingua loqui.
31 Divinas etenim volvit ſub pectore leges
Vir bonus, incautum nec malus error aget.
32 Improbus hunc oculis tranſverſum ſpectat iniquis,
Atque aliqua tentat poſſe nocere via;
33 Sed Deus haud hoſtis manibus permittet inultum,
Nec bona ſub quovis judice cauſa cadet.
34 Quiſquis es, ergo Deum ſpecta, Divina verere
Juſſa, dabit magno te frui honore Deus.

Per-

Perpetuis potiere bonis; poſt foeda nocentum
Funera, fortunas noveris ipſe tuas.
35 Vidi ego ſublimi ſurgentem vertice ſontem,
In Libani ſurgit cedrus ut alta jugis;
36 Sed vix praeterii, retro dum lumina verto,
Nulla erat ex tanto forma relicta viro.
Saltem impreſſa ſolo veſtigia conquiſivi,
Nec fuit inventus, quo ſtetit ille, locus.
37 Recti eſto cuſtos, ac ſervantiſſimus aequi;
Floret enim longa poſteritate pius.
38 Turba nocens nullo diſcrimine tota peribit,
Et ſoboles ipſi nulla ſuperſtes erit.
39 Juſtorum ſtat nempe ſalus in Numine nixa;
Protegit hos, ubi ſors ſaeviat atra, Deus.
40 Ille erit auxilio, ſalvoſque ex hoſte receptos
In ſe non fruſtra ſpem poſuiſſe ſinet.

PSALMUS XXXVII.

Domine, ne in furore tuo &c.

1 *Deplorat peccata ſua, miſeriaſque ex iis conſecutas exponit, Deique auxilium petit, quae & ad Chriſtum pro noſtris culpis patientem referri poſſunt.*

2 PArce, Deus, totum me contra urgere furorem,
Nec tua in exitio ſaeviat ira meo.
3 Fixa meis haerent penitus tua tela medullis,
Inque nova incubuit vulnera firma manus.

4 Ira mihi ante oculos aſtat tua; concutit artus
Terror, & eſt aegro in corpore nulla ſalus;
Foeda mihi ſcelerum obverſatur imago meorum;
Horreo, nec trepidis oſſibus ulla quies.
5 In caput inſiliere meum mea crimina: Quanto,
Preſſa ſuperpoſito pondere terga gemunt!
6 Putruit, & ſaniem foedo vomit ulcus hiatu,
Indita dum celo vulnera ſtultus ego.
7 Heu miſer, & prono curvatus corpore volvor,
Meque coquit totos anxia cura dies.
8 Me ſtimulis agit indomitis laſciva libido,
Languet & exhauſtis viribus aegra caro.
9 Indolui; puduitque mei, moeſtoque petitos
Pectore rugitus ore gemente dedi.
10 Vota, Deus, Tibi ſunt, animo quaecumque peregi,
Cognita, nec luctus Te latuere mei.
11 Eheu quanta calent agitato praelia corde!
Eheu me virtus priſtina deſtituit!
Nil video, fugit ex oculis jam lumen ademtum,
Eripit optatum nox & oborta diem.
12 Quotquot erant aliquo mihi amoris foedere juncti,
Saeva mihi infeſta bella tulere manu.
13 Arripuere fugam ſocii; violentior inſtat
Hoſtis atrox, noſtroque imminet exitio.
Aſt alii infenſis animis mihi ficta locuti,
Per totos fraudes compoſuere dies.
14 Ipſe autem vanis obſtruxi vocibus aures,
Reddidit & nullum lingua retenta ſonum;
15 Non aliter, quam ſi caneretur fabula ſurdo,
Nec poſſem in ſolitos nectere verba modos.
16 Sed quoniam poſita eſt mihi Te ſpes omnis in uno;
Accipies voces Tu, Deus, aure meas:

17 Ne

17 Ne noſtris, dixi, gratentur caſibus hoſtes,
Qui magnas jactant, me titubante, minas.
18 Nec poenam fugio: pronum en in verbera tergum:
Heu merui; hic oculos vulnerat uſque dolor.
19 Inque oculis eſt, & pleno ſcelus ore fatebor,
Una erit admiſſum cura piare nefas.
20 Interea at vivunt hoſtes, meque acrius urgent,
Inque dies odii creſcit iniqua ſeges.
21 Haec mihi tot memores meritorum praemia reddunt;
Cauſa eſt, quod recti nitar inire vias.
22 Ah ne me ſolum, Pater alme, Deuſque, relinque,
A latere offenſus neve recede meo.
23 Affer opem, tua quae pietas, ſuccurre jacenti,
O Deus, o rebus portus, & ara meis.

PSALMUS XXXVIII.

Dixi: cuſtodiam vias meas &c.

1 *In ſuis malis, injuriiſque, quibus appetitur, ſe brevitate vitae conſolatur, & ad Deum ſuae calamitatis auctorem confugit.*

2 DIxi: ſtatutum, ac mente decretum ſedet
Meos in actus ſedulo
Inquirere; omni & temperare a jurgio,
Ne lingua peccet lubrica.
Conviciis cum me improbus laceſſeret,
Ori obdidi repagulum.

 3 Tuli

3 Tuli ſilens injuriam, ac iram premens
Nec juſta verba protuli.
Dolor ſed inde plus eo recruduit,
Quo tectus eſt ſilentio.
4 Novos repente pectus aeſtus concipit;
Faces & ira ſubjicit;
Nam dum malorum facta iniqua cogito,
Magno cor igne exaeſtuat.
5 Erupit at compreſſus in Voces dolor,
Et froena lingua reppulit.
Quo haec uſque, dixi, perferam? Quis eſt, Deus,
Finis futurus, edoce.
Modus diebus quis ſtatutus eſt meis,
Quid porro reſtat, noverim.
6 Anni breves labuntur; ante Te nihil
Eſt, quicquid eſſe exiſtimor.
Et quiſquis hujus lucis aura veſcitur,
Quamvis honore fulgeat,
Quamvis ſuperbo celſus in faſtigio
Felicitate floreat,
Opibuſque multis, ac bonis circumfluat,
Refertus eſt inanijs.
7 Quales oberrant per quietem imagines,
Quae mox in auras diffluunt,
Homo caducus haud ſecus dilabitur,
Fugaxque vita praeterit.
Fruſtra tamen ſeſe irritis laboribus
Noctu, diuque macerat.
Opes acervat maximas, neſcit tamen
Cui tot parata ſint bona.
8 At quae mihi ſpes eſt, niſi ſolus Deus?
Tu ſolus es mihi omnia.

9 Ne-

9 Nexus meorum Tu reſolve criminum,
Mala unde cuncta profluunt.
Tu me dediſti inſanienti ludicrum,
Levique vulgo fabulam.
10 Ego dolorem condidi ſilentio
Auctore Te, factum ſciens.
Abſiſte jam tandem novas infligere
Plagas, manumque contine.
11 Fractus potente concidi ſub dextera,
Dum verberatum corripis.
Ob perpetrata nanque crimina aſperis
Sontem flagellis atteris;
12 Faciſque, curis irritis exercitus
Tabeſcat aeger ſpiritus,
Tabeſcit ut labore vano aranea,
Suaque tela abſumitur.
Inanibus ſed cuncta gens mortalium
Conſumitur laboribus.
13 Mea, Summe Rector, vota pronis auribus,
Meoſque fletus excipe:
Neu me ſilens contemne: Scis, ut advena
His ſolus oris exulem.
Alia, parentes factitarunt ut mei,
Migrabo viſurus loca.
14 Remitte poenas, ut meae hoc ſolatium
Migrationis auferam.
Ne quando totus mergar atro funere,
In ſempiterna oblivia.

PSAL-

PSALMUS XXXIX.

Expectans expectavi Dominum &c.

1 *Magno periculo ereptus Deo gratias agit, ac ſe ipſum devovet, & in poſterum auxilium petit, eaque occaſione ad Chriſti, & Eccleſiae dolores, & triumphos tranſgreditur.*

2 DUdum expectavi, Domino miſerante ſalutem:
Tandem benignus ille votis annuit.
3 Audiit ille preces, barathroque eduxit ab imo,
Et ſublevavit ſqualido haerentem luto;
Tum mea firmavit ſolida veſtigia petra,
Rectaque greſſus ponere edocuit via.
4 Afflatuque novum dedit in mea guttura carmen,
Carmen faventi concinendum Numini.
Aſpicient multi, atque eadem ſibi fata timebunt,
Deoque diſcent non minus confidere.
5 Felix, Divinum, cui ſpes fuit unica Nomen,
Vanaſque non reſpexit ad fallacias.
6 Feciſti Tu multa, Deus, mirandaque ſolus,
Et cogitata nullus aequiparet tua:
Haec ego vulgavi, quanta eſt data copia fandi;
Sed cuncta non fas voce, nec numero aſſequi.
At majus nihil eſt, nihil eſt ſublimius illo,
Quod nunc profunda mente tecum cogitas.
7 Non Tibi ſacra placent, oblataque munera templis:
Alio litandum ſacro, & alio munere.

Po-

Poſcor Ego: hinc dociles juſſis caeleſtibus aures,
Corpus ferendo mihi dediſti aptiſſimum (a).
8 Non holocauſta petis, nec culpis rite piandis
Tibi vis ad aras immolari victimas?
En adſum, dixi: noſtram, Pater, accipe vitam,
Totuſque apertis hic eat venis cruor.
9 Sic Tibi ſtat, video; ſcriptum eſt fatale volumen,
Cujus priore ſum notatus pagina;
Hic tua praecipitur mihi perficienda voluntas;
Ego libenter, quod jubetur, annuo.
Namque tuas medio deſcripſi pectore leges,
10 Quas publicavi maxima in frequentia;
Nec labia abſiſtent unquam defeſſa loquendo:
Tu teſtis ipſe, cuncta cui ſunt cognita.
11 Juſtitiamque tuam tacito non pectore texi,
Nec veritatem, nec ſalutis pignora,
Indictam non ſum pietatem paſſus, & illam
Tuam aequitatem facta librantem omnia.
12 At Tu, ſumme Parens, inter tot amara malorum
A me ſalubrem ne arceas opem procul.
Tu Pius, & Verax: Haec me tua Nomina tutum
In rebus uſque praeſtiterunt aſperis.
13 Nonne vides, miſerum quot me infortunia ſtipant,
Modus nec ullus hiſce, nec numerus malis?
Criminibus premor ipſe meis, velut agmine facto,
Ut tanta multitudo viſus obruat.
Non tot noſtra volant fuſi per colla capilli;
Heu opprimor, totuſque me liquit vigor.
14 Flecte animum, Pater, & tantis me ſubtrahe poenis;
Tuere me, meamque vitam reſpice.
Aſt illos pudor, & ſceleris mens conſcia turbet,
Qui deſtinarunt caede ſatiari mea.

(a) Graec. & Apoſt. Hebr. 10. Corpus autem aptaſti mihi.

16 Oraque dejiciant turpi ſuffuſa rubore,
Qui clade dicunt in mea: euge vicimus.
17 Laetitia exiliant, ac de Te gaudia captent,
Qui mente pura Te laborant quaerere;
Et ſemper rerum Domino ſit gloria, dicant,
Qui geſtiunt per Te ſalutem conſequi.
18 Me labor, & duris premit arcta in rebus egeſtas,
Mei gerit ſed providus curam Deus.
Tu mihi praeſidium, & rerum tutela mearum:
Ah ne morare ferre tot malis opem.

PSALMUS XL.

Beatus, qui intelligit ſuper egenum &c.

1 *In ſuis aerumnis Chriſti patientis perſonam exprimit, cujus iniquam proditionem, & futuram gloriam exequitur.*

2 FElix, quiſquis in indigum
Intendens oculos, auxilio levat!
Hunc, atri ut venient dies,
Aerumnis miſerans eripiet Deus.
3 Servetque incolumem, precor,
Et det poſt cineres eſſe ſuperſtitem;
Florentem cumulet bonis,
Permitti arbitrio nec ſinat hoſtium;
4 Si morbo implicitus gravi
Fors triſti jaceat languidus in thoro,
Olli pharmaca temperet
Lenitura malum. Tam bonus es, Deus,

Ut ſtrata Ipſe tua manu
Verſes, aeger ubi mollius incubet:
5 Proin dixi: Pietas tua
Me dulci, Genitor, munere recreet;
Mentis vulnera ſauciae,
Sana, quam ſtimulis lancinat acribus
In Te commeritum ſcelus.
6 In poenam ſatis eſt, ac ſuper hoſtium
Immanis rabies, preces
Qui diras adhibent: Quando erit, ultimam
Ut vitae hic videat diem,
Et nomen tenebris mors ſimul obruat?
7 Quod ſi limina quiſpiam
Intravit tacitus, lumine livido
Actus diſpiciens meos;
Certus me laqueis prendere, crimina
Eſt commentus inania,
Congeſſitque dolos mox ſibi noxios;
8 Exin proſiluit foras
Narrans unanimis falſa ſodalibus.
Gens de me invida detrahit,
9 Miſcens colloquia, & plurima murmurans,
Ac peſtem mihi comparat;
Collata in medium conſilia inſtruit,
Ut me intercipiat dolo.
Num ſemper jaceam? Perpetuus premat
Nunquid depoſitum ſopor?
Non ſic eveniet: Cui gravis irrigat
Somnus languida lumina,
Nunquid ſe excutere, ac ſurgere negligat?
10 Surgam, me excutiam: Tamen
Magnis interea cladibus opprimor.

Qui mecum ſocialia
Pacis perpetuae foedera junxerat,
Cui confidere ſueveram,
Qui menſae ſocius diſcubuit meae,
Struxit praecipue dolos,
Me tentans poſitis nectere retibus.
11 Sed tandem pietas mei
Te tangat, Genitor, meque tot obrutum
Duris caſibus excita.
Tunc illis referam debita praemia,
Et dignam meritis vicem.
12 En audis: vel in hoc novi ego, quam Tibi
Sim curae, ut ſtudeas mihi,
Quod noſtro haud referet gaudia funere
Noſtri ſanguinis inſtitor.
13 Tu me, quod ſceleris noveris integrum,
Foviſti patrio ſinu;
Quin magno imperio praeficis, omnibus
Aſtantem Tibi ſaeculis.
14 Sit jugis patrio gloria Numini,
Fidus quod colit Iſrael.
Sic ſic eveniat, nec precer irrita,

PSALMUS XLI.

Quemadmodum deſiderat cervus ec.

1 *Sive ad captivitatem Babylonicam reſpiciat, ſeu potius ad exilium, in quo verſabatur à Saule exagitatus, omnino animae ad Caelum aſpirantis deſideria exprimit.*

2 CEu ſitiens aeſtu, longoque per avia curſu
Feſſus ad optatas cervus anhelat aquas,
Anxia tot curis, tantiſque erroribus acta
Sic mea Te ſolum mens ſitit aegra, Deus;
3 Mens ſitit aegra Deum, vivum, ſua gaudia, fontem:
Quando erit, optato detur ut ore frui?
4 Nocte, dieque mihi rigui ſunt pabula fletus,
Dum Deus ille tuus ſaepe rogamur, ubi eſt?
5 Sed ſpe jam nunc praecipio laetabile tempus,
Tantaque mens inter gaudia merſa natat,
Cum penetrale ſacrum, populo comitante, ſubibo,
Quaeque colit praeſens limina Sancta, Deus;
Hic ego laetitiae voces, laudumque ciebo,
Qualibus eſt feſtas mos celebrare dapes.
6 Cur te, anime, excrucias, gemitus cur fundis inanes?
Cur turbas luctu gaudia noſtra tuo?
Fide Deo: jam tempus erit cum, lumina, dicam,
Praeſens noſtra beas, o mea vita, Deus.
Sed redit ad luctus animus; me debilem, egenum
Cogitat, atque iterum ſolvitur in lacrymas,
Una,

Una, Deus, ſupereſt mihi Te meminiſſe voluptas;
Hic, ubi Judaeis finibus exul ago;
Hic ubi Jordanes placido ſecat agmine campos,
Arvaque non jam oculis viſa decora meis;
Hic ubi ſe Hermonius modico mons vertice tollit,
Exilium ſolus Tu mihi triſte levas.
8 Me mala nexa malis prope jam merſere, procellam
Imbre novo foetam rupta procella ciet.
Tu ſonitu horribili Caelum diſcludis, aquarum
Agmen & immenſum praecipitare jubes.
Quotquot in aeriis pendebant nubibus imbres,
In noſtrum miſſi deſiliere caput.
9 En redit alma dies: tandem miſeratus amico
Diſcuſſit vultu nubila tetra Deus.
Sed licet obductis nox ingruat atra tenebris,
Illi & in obſcura cantica nocte canam;
10 Inque ſinu, taciteque orans: Tutela ſalutis
Unica Tu, dicam, praeſidiumque mihi es.
Cur nunc, aut quae Te capiunt oblivia noſtri:
Aut quid ago triſtes, hoſte premente, dies?
11 Debilitata labant longo dum membra labore,
Illudit noſtris gens inimica malis.
Et mihi per ſolidas jactat convicia luces:
Nunc Deus ille tuus, nunc tuus ultor ubi eſt?
Cur te, anime, excrucias, gemitus cur fundis inanes?
Cur turbas luctu gaudia noſtra tuo?
Fide Deo: jam tempus erit cum, lumina, dicam,
Praeſens noſtra beas, o mea vita, Deus.

PSAL-

PSALMUS XLII.

Judica me Deus, & diſcerne &c.

Appendix, & quaſi epitome Pſalmi ſuperioris, eadem continens vota liberationis, & ſpem futurae felicitatis.

1 ME judica, cauſamque diſcepta meam,
Summae aequitatis Arbiter;
Gente e maligna, & ſycophantae e fraudibus,
Calumniiſque me eripe.
2 Tu fortitudo, Tu meum robur, Deus:
Cur me precantem rejicis?
Cur, Te vidente, triſtis incedo, ac gemens,
Dum me acer hoſtis opprimit?
3 Emitte ab alto luminis radium tui,
Et veritatis lampada;
Haec me praeibunt horrida in caligine,
Rectaque deducent via,
Scandam tui ſic ſancta montis culmina,
Temploque ſuccedam tuo;
4 Sacraſque ad aras gaudii auctorem mei
Pia ſalutabo prece;
Nunquam caducae qui mihi florentia
Refert juventae tempora.
5 Tunc blanda curvi fila tangam barbiti,
Tuaſque laudes concinam.
Et confitebor Te, Deus, Deus meus,
Tua & retexam munera.

Quid ergo, triſtis anime, quid ſic angeris,
Quid me inquietum ſic habes?
6 Spes in Deo repone, mox & debitas
Illi rependam gratias;
Dicamque: Tu ſalutis, & pacis Dator,
Meuſque Tu ſemper Deus.

PSALMUS XLIII.

Deus auribus noſtris audivimus &c.

1 *Praedicit calamitates Judaeis illatas, ſive in captivitate Babylonica, ſive in tempore Machabaeorum ab Antiocho Epiphane, & in iis Eccleſiae calamitates praeſignat, quas ab Imperatoribus paſſura erat, pro quibus Deum implorat, vetera ejus beneficia commemorans.*

2 AUdiimus, Deus, & noſtras pervenit ad aures
Fama vetus: priſci nobis retulere parentes,
Elapſis quae feciſti memoranda diebus,
Et quae praeſtiteras olim ſenioribus annis.
3 Quotquot erant terra hac, gentes tua dextra profanas
Expulit, & certa noſtros ſtatione locavit;
Tu populos fruſtra obſtantes certamine duro
Fregiſti, atque alias egiſti quaerere ſedes.
4 Non etenim potuere bona regione potiri
Vi propria Abramidae, nec eos ſua dextera texit;
Sed tua pugnantes manus inſuperabilis armis

Juvit, & invictum quo polles robore; Vultus
Affulſit lux alma tui, vireſque, animoſque
Addidit auſpicio tanto; Tibi namque fovere
Hanc libuit gentem populis magis omnibus unam.
5 Tu Rex, Tu noſtri imperii moderaris habenas,
Tu Deus, incolumis per Te ſervatur Iacob.
6 Per te, impacatus quoties tentaverit hoſtis
Praelia, per liquidas ſparſum jactabimus auras,
Cornibus excuſſos ceu taurus in aſtra maniplos;
Quippe Tui clypeo protecti Nominis omnes
Speremus, valido quotquot nos marte laceſſant.
7 Non etenim certo ſpes noſtra innititur arcu,
Non ſtricto ſtat in enſe ſalus;
8 Tu ſaepe cruento
Marte laceſſitos ſervaſti ex hoſtibus unus,
Et qui nos odiis divexavere protervis,
Turpia cum multo egiſti dare terga pudore.
9 Si qua unquam noſtris accedet gloria faſtis,
Tota tua eſt, & tota tuo referenda favori;
Tu ſemper, Nomenque tuum, laudeſque canendae.
10 Nunc autem averſo indignans nos deſpicis ore,
Et fieri inſani pateris ludibria vulgi:
Non jam progrederis noſtras, velut ante ſolebas
Ante acies, laetas rapiens in bella phalanges.
11 Terga ſed inſtanti per te dare (a) cogimur hoſti,
Qui noſtras populatur opes, aurumque repoſtum
Diripit, & ſpoliis incedit onuſtus opimis.
12 Dat miſeras ferro ſtrages, & inertia paſſim
Corpora ſternit humi, caeſarum more bidentum;
Aſt alios cogit diverſas quaerere terras,
Undique diſperſos;
13 Nullo divendimur aere

(a) S. Hier. vertiſti terga noſtra hoſti.

Gens tua, nec magno mutantur corpora, quaevis
Charior eſt merces;
14 Vicinis fabula noſtris
Jam ſumus, & cuncti miſeris illudere certant
Finitimi;
15 Vertunt nos in proverbia gentes
Infenſae, quatiuntque caput, rictuſque reſolvunt;
16 Ipſe, meum ante oculos cui ſemper dedecus haeret,
Demitto tacitos vultus, rubor inficit ora,
17 Nec valeo populi dicteria ferre procacis,
Et conjuratas in noſtra opprobria linguas.
18 Omnia nos haec damna ſumus, gravioraque paſſi:
Atqui nulla tui ſubiere oblivia nobis,
Nec pravis unquam tua jura infregimus auſis.
19 Poſtquam pacta fides tecum, tibi foedere firmo
Haeſimus, & retro mens nunquam averſa receſſit,
Nec per diverſos flexit veſtigia calles [a],
20 Ut nos in tantos tetro ſub carcere luctus
Conjiceres, mortis noſque atra involveret umbra.
21 Quod ſi Divinum noſtro unquam pectore Nomen
Excidit, aut aliena manus ad Numina paſſas
Suſtulimus:
22 Deus haec neſcit, nec quaerere curat?
Ille Deus, cui mortalis penetralia cordis
Cuncta patent, nullique animi latuere receſſus?
Teſtis es ipſe, Deum Genitor, quae prima malorum
Semina, quae fuerit tam dirae peſtis origo.
Te propter caedes nos quottidiana fatigat,
Ceu pecudes ſacras raptae mactantur ad aras,
Et tepido infixos reſpergunt ſanguine cultros.
23 Surge age; quid dormis? Quaenam Te incuria noſtri
Lon-

(a) S. Hier. & non declinaverunt ſemitae noſtrae.

Longa tenet? ſurge, & nos ne patiaris inultos,
Atque opis expertes, donec nos ultima mergant
Exitia.

24 Averſo cur ſic nos ore tueris,
Nec curas inopes, tantis ac fletibus actos?
25 Aſpicis ut foedo ſpargamus pulvere frontem
Semianimes, totoque affixi corpore terrae
Volvamur, veniam gemitu, auxiliumque rogantes?
26 Surge Deus, fer opem miſeris, atque eripe cladi
Per quaecumque tuum commendat gloria Nomen.

PSALMUS XLIV.

Eructavit cor meum &c.

1 *Epithalamium, quo Chriſti cum Eccleſia nuptiae celebrantur, quas in connubio Salomonis cum Filia Pharaonis clariſſime adumbrat.*

2 FAuſta cano, pleno congeſtaque pectora Vates
Verba foras rumpo, non me meus incitat ardor,
Sed major vis intus agit; Me Numen amicum
Implet, ego aethereo dico me, meaque omnia Regi;
Nam veluti calamus ſcribenti reddere fidus
Verba ſolet, ductumque ſequi dextramque moventem,
Divino haud aliter nutu mea lingua movetur.
3 Rex Caelo demiſſe, Tibi quae forma venuſto
Ore ſedet! Quae hominum facies huic aemula certet?
Dulcibus eloquii quae ſtillat gratia labris!

Haec Genitor Tibi dona dedit; Te, maxime Princeps,
Aeterno Deus, ipſe Deus cumulavit honore,
Multiplicique tuum ditavit munere pectus.
4 Ergo veni, tuaque illa, quibus victoria paret,
Tela move, laterique potens accingere ferrum,
Unde tibi ſpecies, auguſtaque frontis honeſtas
Creſcit,
5 Et adverſos, Heros fortiſſime, in hoſtes
Progredere auſpicio laeto, ac tibi debita dudum
Regna cape, ac totum tua jura oſtende per orbem.
Quem plus ſceptra decent? non Te veracior, aut Te
Mitior eſt alter, nec Te ſervantior aequi.
Te virtus innata reget; Tua dextera cunctos
Expediet caſus, & Te per proſpera ducet.
6 Scilicet horrendas praeacuta cuſpide vibras,
Hoſtis & haeſuras transfixo in corde ſagittas.
Hinc populos late cernes, aut plangere terram
Vulnere confoſſos multo, aut victricibus ultro
Advolvi genibus, faciendaque poſcere juſſa.
7 Aeternum tua regna manent, Deus, & tua ſedes (a)
Saeclorum ſeriem vincet: regis aequa potenti
Sceptra manu, & juſta populos ditione coerces.
8 Juſtitiae Tibi ſolus amor, ſcelera omnia juſto
Exagitas odio, & facta averſaris iniqua:
Propterea (b) Deus ille tuus Te prae omnibus unum
Regem conſtituit, ſacroque perunxit olivo
Tempora, quo plenae afflavit nova gaudia menti.
9 Hinc bene totus oles, divinoque unguine fragras,
Hinc myrrha, atque aloe, & caſia Tibi regia veſtis
Diffluit, & ſuavem late diffundit odorem;
Quo-

(a) Manifeſtum teſtimonium de Chriſti Divinitate.
(b) Deus Pater.

Quo domus, & Lybico implentur diſtincta elephanto
Limina; Progreſſaeque adeo e conclavibus aureis
Conſpicuae, regum ſoboles, lectaeque puellae
Obſequiis Te circumſtant, ſtudioque frequentes,
Officioſa cohors; Mulcent tibi gaudia pectus
Interea, tantoque Tibi grataris honore.
10 At dextrae Conjux aſtat Regina, decorum
Auro cincta latus; fluit aurea palla maeandro
Multiplici illuſa, & vario circumdata limbo.
11 Nunc aures adverte tuas huc, Regia Virgo,
Huc intende animum, monitoris & accipe voces;
Jam patriam antiquam, ac deſerti tecta parentis,
Teque parum dignas hinc jam obliviſcere terras (a).
12 Captus amore tui, pulchraeque cupidine formae
Rex magis ardebit, flammas & pectore toto
Concipiet; tuus ille idem Dominuſque, Deuſque;
Cui flexo cunctae procumbent poplite gentes.
13 Te quoque Sidoniae venient inviſere matres
Munera portantes, Te ſupplice voce rogabunt,
Quotquot divitiis, & magno nomine pollent.
14 At quae regalem commendat gloria nuptam,
Intus corde ſedet: miro ſpectanda decore
Eſt animi facies: Hanc ornamenta decentem
Efficiunt pretioſa magis; fulgentius ambit
Extremas aurum ſinuoſae cycladis oras,
Pictaque acu Phrygia, varioque intexta colore
Hanc melior veſtis propriis virtutibus ornat.
Hoc cultu inſignis ſponſi procedet ad aedes;
Virginei tum pompa chori numeroſa ſequetur,
Et quae pone legunt Dominae veſtigia, longo
Ordine ducentur lectae Tibi, Sponſe, puellae

(a) Gentium partes.

Corpore praeſtantes,

16 Magno & conclavia plauſu
Intrabunt, totis fervebunt gaudia tectis,
Aeternique alacres viſent templa aurea Regis.
17 Nec Tu digreſſu mentem labefacta parentum,
Regina, incedas; damnum generoſa rependent
Pignora, gentis honos, & lecti fructus honeſti.
His neque ſunt metae rerum, neque tempora; late
Imperium ſine fine regent, terraſque per omnes
18 Jura dabunt, recolentque tuum, Rex maxime, Nomen,
Extollentque tuas aeterno carmine laudes,
,, Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis;
Hinc cuncti paſſim populi tua jura vereri
Aſſueſcent, meritoſque Tibi perſolvere honores,
Ultima perpetuos peragent dum ſaecula curſus.

PSALMUS XXXXV.

Deus noſter refugium, & virtus &c.

1 *Praedicit liberationem Eccleſiae a perſecutione infidelium, quam fortaſſe adumbrare vult in liberatione ſua ab inimicis, & Judaeorum a captivitate.*

2 EST noſtra virtus, & columen Deus,
Idem procellis portus in aſperis,
Quae nos per infeſtas malorum
Exagitant, rapiuntque Syrtes.
3 Si terra vaſtis concita motibus
Nutet, revulſos ſedibus infimis

Abſorbeat montes profundum,
Impavidos ferient ruinae.

4 Fragore magno caerula perſonent,
Turbentur undae, ac Sydera proluant,
Altoſque vi magna frementes
Concutiant ſcopulos procellae;

5 At lene labens fluminis impetus
Dilecta Caelo moenia recreat,
Sanctae Sionis, conſecratque
Haud dubium ſua templa Numen.

6 In urbe praeſes ſtat media Deus:
Quos illa caſus, quas timeat vices,
Quam pervigil prompto tuetur
Praeſidio Deus ipſe cuſtos?

7 Gentes profanas ſternit humi pavor;
Et Regna ſummo barbara culmine
Detracta procumbunt, tremitque
Terra, ſimul dedit Ille vocem.

8 At noſtra ductat bellipotens Pater
Vexilla, cujus mille acies latus
Stipant; Jacobique Numen
Nos animo jubet eſſe tuto.

9 Orbis venite e finibus ultimis,
Regiſque ſummi facta tuemini:
Quae mira patravit, ſilere
Bella jubens ad utrumque ſolem!

10 Diffringet arcus, ſpicula conteret,
Rumpetque acuta cuſpide lanceas,
Et ſcuta acervabit futura
Suppoſitis alimenta flammis.

11 Vacate ab armis, inquit; in otio
Videte quantus ſim Deus. Omnibus

Extollar in terris, per omnes
Tranſiliet mea fama gentes.
12 Hic noſtra ductat bellipotens Pater
Vexilla, cujus mille acies latus
Stipant; Jacobique Numen
Nos animo jubet eſſe tuto.

PSALMUS XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus &c.

1 *Sive in Arcae aſportatione ad montem Sion, ſive in ejuſdem reportatione poſt inſignem victoriam, ſive in Templi iterum aedificati dedicatione, ſcriptus credatur hic pſalmus, totus fere eſt in praenunciando Chriſti ad Caelum aſcenſu, ejuſque regni propagatione.*

2 TOllite aeternum ſuper aſtra laetis
Plauſibus Regem, populi per omnes
Diſſiti terras, agitate feſta
Gaudia voce.
3 Ille ſublimi ſolio refulgens
Dejicit gentes humili pavore;
Ille Rex magnus ditione terram
Temperat omnem.
4 Ille victrices agitans catervas
Regna ſubjecit, populoſque nobis,
Juſſit & noſtras genibus minores
Lambere plantas.

5 Nos

5 Nos ſibi legit proprios, ſuoque
Jure poſſedit, ſpecieque captus
(a) Optimi Jacob, ſibi ſempiterno
Junxit amore.
6 En triumphali ſuper aſtra curru
Victor aſcendit; tremulus tubarum
Clangor, & vocum ſtrepitus canentum
Impulit auras.
7 Pſallite; immenſum celebrate Numen;
Pſallite; invictum celebrate Regem:
8 Imperat terris Deus; eleganti
Pſallite cantu.
9 Tempus & quondam veniet, ſubactae
Cum pati diſcent nova Regna gentes:
Nunc Deus Caelo reſidet, ſuaque
Regnat in arce.
10 Quem Deum eſt Abram veneratus, illum
Barbari oratum coeunt tyranni (b);
Unus eſt cunctis Deus, una ſacra,
Ritus & unus.
Quanta terreſtres levat aura Divos (c)
Quos per adverſos generoſa virtus
Expedit caſus, Superiſque magno
Aequat honore!

PSAL-

(a) i. e. Populi Judaici.
(b) Vocatio Gentium.
(c) i. e. Apoſtolos juxta Chryſoſt. vel ut alii, Principes terrae nos ex acceſſu ad Chriſtum virtute, & gloria auctos.

PSALMUS XLVII.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis &c.

1 *Laudat Deum ob Jeruſalem iterum aedificatam poſt captivitatem Babylonicam, & ſub hac figura ob Eccleſiam, averſa Idololatria, conſtitutam.*

2 MAgnus, & immenſa populorum laude canendus
Eſt Deus: Hoc Urbis teſtantur moenia ſacrae,
Quae ſancto ſuper attollit faſtigia monte.
3 Totius huic late aſſurgunt confinia terrae,
Et fauſtos gaudent educi ad ſydera muros;
Tum Monti plaudunt, gelidam qui vergit ad Arcton,
Et laterum objectu Boream, & glacialia pellit
Flamina, ne placidum contriſtent frigore Caelum;
Et magni Regis celebrant ſermonibus Urbem.
4 Illius auguſtis Divina potentia tectis
Clareſcet, proprioque Deus ſe lumine prodet,
Cum muros Urbis, ſacraſque tuebitur arces
Numine, & obducta circum amplexabitur umbra.
5 Ecce autem extremi cunctis regionibus orbis
Inſurgunt Reges infeſti, Urbique minantur,
Collectis ſimul agminibus: dum praelia tentant
Impia, jam flectunt animos, & coepta retractant,
6 Mirari tantam Caelo ſe attollere molem,
Tantaque cernentes illic miracula rerum;
7 Quin ipſis turbata pavor per pectora ſerpens
Inſi-

Inſinuat, gelidusque coit formidine ſanguis,
Coecus & ima tremor penitus diſcurrit in oſſa;
Dilanians & tota dolor ſic viſcera mordet,
Foeta velut mulier partum enixura laborat.
8 At tu ventoſo permiſcens turbine pontum,
Inſtructas armis puppes, ac mole timendas,
Quales merce graves quae Tharſica littora tentant,
Illides ſcopulis, & fractas gurgite merges.
9 Accipiunt promiſſa fidem; Quod priſca futurum
Temporibus ſeris cecinere oracula Vatum,
Cernimus impletum Divini Regis in Urbe,
Urbe, Deus quam ultro legit ſibi noſter habendam,
Extruxitque ſuis manibus, ſtabilemque locavit,
Et firmo dedit aeternum fundamine niti.
10 At ſeſe, Deus, in medio Tua maxima templo
Effudit Pietas voce exorata precantum:
11 Utque tuum extremas pervadit Nomen in oras,
Sic tua per cunctas reſonant praeconia terras.
Juſtus ubique audis, aequam tua dextera lancem
Exigit, & meritis poenas, vel praemia reddit.
12 Ergo age, laetitia ſancti juga ſumma Sionis
Exiliant, Judaeque nurus, caſtaeque puellae
Laetitiam ingeminent, tua dum, Deus optime, cernent
Judicia, adjutoſque pios, fractoſque nocentes:
13 Saxa, viri, ferte, & validis hanc moenibus urbem
Cingite, & aggeribus circumvallate Sionem.
Scandite mox turres, populoſque ciere remotos,
Ut ſtupeant opibus florentem, ac civibus Urbem.
14 Huc animos, quaeſo, huc totas advertite curas,
Nil ut praeſidii, aut apti muniminis abſit;
Tum tectis optate locum, ſibi quiſque laboret

Limi-

Limina ſortitus; Populo ſic aucta frequenti
Ferveat Urbs, veniens ut gloria manet in aevum,
Et, genitor natis opera immortalia narret
Numinis, ad ſeros veniat dum ſama nepotes;
15 Et Deus hic, dicat, Deus hic eſt noſter, eritque,
Poſtera dum certo volventur ſaecula gyro:
Perpetuo nos Ille reget, caſuſque per omnes
Imperii ſemper noſtri tractabit habenas.

PSALMUS XLVIII.

Audite haec omnes gentes &c.

1 *Hominum vanitas in caducis rebus ſectandis.*

2 AUdite gentes, quoquot eſtis; auribus
Haurite, quotquot eſtis orbis incolae,
3 Seu filii terrae, inclytis majoribus
Seu creti in oras prodiſtis luminis,
Dives, ſimulque pauper aeque attendite:
4 Praecepta vobis profutura proloquar,
Diuque mente cogitatas intima
Voces, refertas proferam prudentia.
5 Audita ſabor: me Magiſter doctior,
Summus Magiſter, menti & intimus meae
Ante edocebit, quem libenter audiam
Dictata ſacris implicantem ambagibus;
Excepta & inde verba pronis auribus
Vobis canente mox recludam barbito.
6 Torquebit atra quid paventem me die?

Ini-

Iniqua facta; ſi qua vitae ad exitum
Sim perſecutus devis veſtigis.
Haec me obſidebunt, atque cingent undique
Quam maximas adductum ad uſque anguſtias.
7 Quicumque fidunt plurima potentia,
Magnaque rerum gloriantur copia,
8 Non hos vel ipſe frater, ut ſeſe vadem
Pro fratre tradat, vendicare ſit potis.
Quid alius? Haud mortalium quiſquam queat
Juvare, nec placare muneribus Deum,
Quo praeſtitutos proroget vitae dies,
9 Redimere nec pecunia periculum.
Nunquam quietis improbus laboribus
Frangetur, aeternumque divexabitur (a);
10 Brevi ſed evoluta vita tempore
Finem videbit, tranſilire quem nefas.
11 An ille mortis non timebit ſpicula,
Cum videat ipſis funus efferri bonis?
Sed innocentes una, & improbos ſimul
Mors aequa nullo contereret diſcrimine.
12 Tot aggeratas mox opes laboribus
Ignotus haeres poſſidebit immemor.
Illis ſepulchra tunc futura ſunt domus
Colendae in aevum; ſplendida haec palatia
Sunt poſſidenda glorioſo pulveri,
Donec genus mortale propagabitur;
Et ſola, ſaxis ſculpta quae reliquerint;
Aut aere, terris indita aut olim ſuis (b),
De tam ſuperbis vix manebunt nomina.
13 Uſque adeo honore cum ſupremo excelleret,
Suae

(a) Ita S. Auguſt.
(b) S. Hier. vocaverunt nominibus ſuis terras ſuas.

Suae ipſe vixit dignitatis immemor
Mortalis, & ſe beſtiis fecit parem,
Mores earum, ac aemulatus indolem.
14 Haec, qua nocentes ambularunt, ſemita
Deducit illos in ruinas maximas.
Sed gloriantur, ſed ſibi ſtulti placent,
Et foeda plenis facta buccis praedicant.
15 At mox, macello duci inertes ut ſolent
Oves gregatim, & ſponte adactum gutturi
Excipere ferrum, ſic & illi tartara
Detruſi ad ima, aeterna Morti pabula
Cedent, cruentis conterenda dentibus.
Aeterna Juſtis cum dies illuxerit,
Fractos domabunt, & coercebunt malos,
Dominoſque, quos tulere, tunc ſervos prement:
Opibus quod illi collocabant in ſuis,
Tunc conſeneſcet omne praeſidium; ruet,
Qua ſic in altum ſe efferebant, gloria,
Poſtquam profundas viderint Stygis Domos.
16 Sed me Deus ſua prehenſum dextera
Tenebricoſo educet ex Orci ſinu,
Animamque caecis hanc cavernis eruet.
17 Ne pertimeſcas improbi potentiam,
Quamvis domi coegerit magnas opes,
Multaque abundet, ac tumeſcat gloria.
18 Dies migrandi cum ſuprema advenerit
Nil ille ſecum rebus ex tot auferet,
Ipſumque parta non ſequetur gloria.
19 Caeli favore blandientis ebrius
Multis beatos ducit in bonis dies,
Dum vita ſuperat; inde cuncta deſerunt:
Te laudibus depraedicat, tunc ſcilicet,

Cum

Cum dona larga effuderis manu, Deus (a),
Adverſa ubi incidant, paratus obloqui.
20 Hinc ad parentes demigrabit impios,
Quorum nefanda eſt aemulatus crimina,
Funeſtae eamdem mortis ingreſſus viam,
Lumenque nunquam dulce conſpicabitur.
21 Uſque adeo honore cum ſupremo excelleret,
Suae ipſe vixit dignitatis immemor
Mortalis, & ſe beſtiis fecit parem
Mores earum, ac aemulatus indolem.

PSALMUS XLIX.

Deus Deorum Dominus &c.

Futurum Judicium praenuntiat, & Judaeos ex Sacrificiorum legalium reprobatione ad Spiritalem Dei cultum in novo Teſtamento exercendum diſponit.

1 REx hominum, Divumque ingenti voce locutus
Intonuit, terramque citans ad juſſa ſilentem
Accivit, Eoo qua Phoebus ab aequore ſurgit,
Quaque ſub Heſperiis decedens mergitur undis.
2 Olli pulchra Sion ſedes; hinc prodit, & alte
Emicat, egregio late ſpectabilis ore.
3 Praeſcriptum jam tempus adeſt, cum luce refulgens
Conſpicua, Deus adveniet, manifeſta daturus
Signa ſuae majeſtatis; non ille ſilebit,
Ut quondam, placidoque inerit clementia vultus

(a) Alii aliter.

Sed longos Caeli tractus, maria omnia, terras
Late omnes ſimul involvens populabitur ignis,
Raptaque fumabunt ſtridentibus omnia flammis
Ipſius ante oculos; totum ſimul undique mundum
Horrida concutiet, fundoque evertet ab imo
Tempeſtas.
4 Superos Caeli convexa tenentes (a),
Mortaleſque omni terrarum parte vocatos
Judicii teſtes aſcriptoreſque jubebit,
Pectora fida ſibi, ac lectam ſecernere gentem
Coetibus immiſtam inviſis, turbaque nocentum.
5 Ergo agite, & populos ex omni parte fideles
Cogite, Caelicolae, qui foedera rite colentes
Pacta Deo, ſanctas adolerunt thuribus aras,
Oblato verax confeſſi munera Numen.
6 Tum vero horrifico Caelum omne fragore tonabit,
Juſtitiam, & magni teſtatum Judicis iras.
Nunc age, Te, gens appellat Judaea; tibi ipſe
Ecce Deus loquitur, monet & praevertere damnum:
7 Huc aures adverte tuas, memorique reconde
Pectore, quae moneo, Iſrael: Tibi certa ſalutis
Conſilia, & noſtra quae ſtet ſententia mente,
Ipſe Deus, Deus ipſe tuus, nunc ordine pando.
8 Non ego te, ſacris quod non altaria fument,
Accuſem, nec noſtra vacent quod templa cruore
Caeſarum pecudum: ſemper mihi munera libas
Multa focis, ſemper pingues holocauſta per aras
Multa ardent, ſacros multa imbuit hoſtia cultros.
9 Quid tum? non vitulos mihi de praeſepibus altis
Eductos, raptoſve tuis ab ovilibus agnos
Poſco dari.
10 Quotquot ſylvis ſtabulantur opacis,

(a) Ita Hier. & Auguſtinus.

Quotquot & aeriis jumenta in montibus errant,
Sunt mea; Me validi Dominum novere juvenci,
11 Me pictae volucres; qua nidos arbore ſigant,
Quas habitent ſedes, ubi tuta cubilia ponant,
Novi ego; Me terrae fruges auctore creantur,
Pullulat omnis ager, gravidis & canet ariſtis.
12 Si quando eſuriam, non a te pabula poſcam;
Eſt meus, & fructus totus mihi parturit orbis,
Effundit pleno quos dives Copia cornu.
13 Nunquid ego e ſecto carnes mihi tergore tauri,
Aut pateras hirci ſpumantes ſanguine ſumam?
14 Solve Deo laudes: hoc eſt mihi honore litandum;
Et ſuſcepta Deo fac reddas vota fidelis;
15 Cumque tibi fortuna dies adduxerit atros,
Me venerare, piaque meum prece Numen adora
Ipſe adero, & ſalvum te per diſcrimina rerum:
Expediam, tu me digno celebrabis honore.
16 Haec ubi dicta piis, tum vero affatur iniquos
Sic Deus, & tali compellat voce nocentem:
Quid leges, inſane, meas, quid foedera jactas,
Quid mea jura crepas lingua temerata profana?
17 Interea rectos odiſti, perfide, mores,
Et mea ſub pedibus contemptor juſſa dediſti.
18 Seu tibi fur, turpis ſive obvius eſſet adulter,
Te furi ſocium jungens avertere praedas
Tentaſti, in partem ſceleris te accepit adulter;
19 Verba venenatis vomuiſti livida labris,
Callidus aſtuta fraudes contexere lingua;
20 Interdumque ſedens ignava per otia quemvis
Dente laceſſebas, mordacique ore latrabas,
Foedere ſive foret, ſeu quis tibi ſanguine junctus.
Saepe dolos etiam malecauto, & ſubdola plantis

Retia tendebas, captus quibus ille periret.
Haec tu cum faceres, tacito tamen omnia vultu
Suſtinui dudum, nec longa ſilentia rupi.
21 Sed fruſtra tibi me ſimilem, ſcelerique faventem
Finxiſti demens: Te contra denique tollam
Increpitans vocem & ſtatuam tua crimina coram,
Et tua te multo traducent facta pudore.
22 Audite, atque animis haec alte infigite veſtris
Vos, quibus ex animo Deus excidit, atque cavete,
Ne vos ſecuros nimis, ac nil tale timentes
In jus abripiat, neu poenas exigat ultor,
Quin aliquis validae poſſit ſubducere dextrae.
23 Placatura meum laudes ſunt hoſtia Numen;
Hae ſternunt iter ad Superos, ubi prima ſalutis
Cauſa, Deus, clara dat ſeſe in luce videndum.

PSALMUS L.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam &c.

1 *Poſt Bethſabeam adulteratam, & Uriam caeſum, a Nathan Propheta reprehenſus, & ad ſe reverſus, peccatum deflet, & Dei clementiam implorat.*

2 PEr quae magna Tuo pietas in pectore regnat,
Summe Pater, caſus ah miſerare meos;
3 Et, quae multa tuis patuit clementia factis,
A me patratum deleat una nefas.
4 Ablue, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Et cunctas imo e pectore terge notas.

5 Heu culpam agnoſco: Quo vertam lumina, ſemper
Criminis ante oculos haeret imago meos.
6 In Te peccavi ſolum, tua Numina laeſi,
Conſcius es, ſceleris teſtis & ipſe mei.
Arguor hinc merito, & ſi auſim contendere tecum
Judicio, melior cauſa futura tua eſt.
7 Quid faciam? Mihi culpa haeret vel matris ab alvo,
Et foetu intumuit plena nocente parens.
8 At mea ſimplicitas fuco praetexere verum
Neſcia, viſa aliquo digna favore fuit.
Hinc tua, quae multa tegitur Sapientia nocte,
Hinc mihi ſunt animi ſenſa recluſa tui.
9 Hyſſopo me ſparge; ſacra luſtrabor ab unda,
Intactas vincam lotus & inde nives.
10 Sentiet, & dulci ſenſu mens laeta fruetur,
Et contrita novus ſerpet in oſſa vigor.
11 Aſpectu ſcelerum vultus averte meorum,
Et quocumque premor crimine, ſolve reum.
12 Cor mihi finge novum, novus intra viſcera ſurgat
Spiritus, obliqua neſcius ire via.
13 A facie ne, quaeſo, tua me projice, ſancta
Neu me deſtituat Numinis aura tui.
14 Laetitiam antiquam reparata redde ſalute,
Firmet & egregius membra refecta vigor.
15 Tunc ego vulgabo in populum tua facta nocentem,
Diſcet & inde tuas impius ire vias.
16 Me cruor accuſat fuſus: Tu me exime noxa,
O Deus, o animae vita, ſaluſque meae,
Tunc mea, quam juſta culpas pietate remittas,
Incipiet laeto pandere lingua ſono.
17 Quae ſcelus aſtrinxit, labiis Tu vincula ſolve;
Ibunt in laudes ora ſoluta tuas.

18 Si Tibi mactatis placuiſſent ſacra juvencis,
Ara boum multa perlita caede foret.
Sed Te non ſacro delectat victima fumo,
Victima odoratis rite cremata focis.
19 Hoſtia grata Deo mens eſt ſcelus omne peroſa,
Anxiaque, admiſſo crimine, corda placent.
20 Da veniam; charae hoc praeſta, Deus alme, Sioni,
Per me fac munus ſentiat illa tuum.
Ut Solymae cecidere meo prope moenia caſu,
Sic venia aſſurgant pene refecta mea.
21 Tunc accepta Tibi pia ſacra, & dona ferentur,
Tunc cadet ante tuos hoſtia grata focos.
Convenient populi, vituloſque a lacte recentes
Imponent aris, lecta piacla, tuis.

PSALMUS LI.

Quid gloriaris in malitia &c.

1 *Reprehenſio Doeg Idumaei, qui calumniatus eſt Da-*
2 *videm, & Achimelech Sacerdotem apud Saul, & cauſa fuit, cur multi perirent, & poenae commination calumniatoribus.* I. Reg. 22.

3 QUid gloriaris, improbe factis potens,
Fortiſque ſolo in crimine?
4 Dudum ſub alta mente conceptum ſcelus
Lingua nocente parturis.
Caecum doloſo infligis ictum vulnere,
Acuta ceu novacula.

5 No-

5 Nocere cunctis, profuiſſe nemini,
Tibi mente defixum ſedet.
Iniqua vident plus tibi mendacia,
Quam juſta verba proloqui.
6 Quaeque in ruinam credulos voces agunt,
Doloſa lingua, has deligis.
7 Sed in tuum convertet exitium caput
Deus ille vindex criminum:
Te clade ab imo vertet extrema obrutum,
Extermінabit & domo;
Cogetque patriis migrare ſedibus
Extorrem, egentem, ac exulem;
Tum ſiqua reſtant in ſolo ex te germina,
Imis revellet ſtirpibus.
8 Juſtus jacentem cernet, & caſus feri
Horreſcet ad ſpectaculum;
Mox & cachinnis ora ſolvet, talibus
Illudet & te vocibus:
9 En qui faventem nil moratus eſt Deum,
Securus omnis auxilj,
Sed in bonorum lubrica affluentia
Sibi ſpes inanes condidit.
10 At ipſe Divina educatus in Domo
Aura faventis Numinis
Vigebo, ramis creſcit ut feracibus
Oliva felici ſolo.
Nam ſemper aluit me Dei benignitas
Sperata in omne ſaeculum.
11 Hinc debitas Tibi uſque ſolvam gratias
Ob facta, Numen, talia;
Tuoque ſemper collocabo in Nomine
Spes haud futuras irritas;

Bonum, ac ſalubre id eſſe, qui periculum
Fecere, teſtantur pii.

PSALMUS LII.

Dixit inſipiens in corde ſuo &c.

Deplorat humani generis inſipientiam, optat captivitatis Babylonicae finem, & Chriſti adventum.

1 INſipiens tacito dixit ſub corde ſuſurrans:
Nullus in orbe Deus;
2 Hinc ſcelere, hinc probris ſordeſcit vita pudendis;
Nullus ubique bonus.
3 Proſpexit Deus e Caelo, ſi ſanior ullus,
Si cui cura Dei eſt.
4 Deliquere omnes, ſcelus eſt opus omnibus unum,
Nullus ubique probus.
5 Nunquam ergo ſapient, nunquam meliora ſequentur,
Qui modo crimen amant?
Mos quibus eſt tenues avido conſumere dente,
Triticeam ut Cererem;
6 Nec meminere Deum averſum ſeu flectere votis,
Sive vocare prece.
Inde timor, vel nulla ſubeſt ubi cauſa timoris:
Conſcia mens trepidat.
Nam quos afflatu populi levat aura ſecundo,
Hos Deus attenuat.
Aſpernante Deo, vulgi ludibria facti
Ora pudore notant.

7 Quis

7 Quis dabit, Iſacidis felici ut ab urbe Sionis
Prodeat alma ſalus?
Cum Deus exolvet captos, & Patria cives
Accipiet reduces,
Tunc totum veteris genus exultabit Iacob,
Laetaque poſteritas.

PSALMUS LIII.

Deus in nomine tuo ſalvum me fac &c.

1 *Cum Ziphaei Davidem apud ſe latentem Sauli de-*
2 *tuliſſent, & ipſe magno cum exercitu inſtaret,*
in tanto periculo ad Deum confugit.

3 ME tuum tantis, Deus, e periclis
Nomen educat; tua magna virtus
Judicis ritu mea facta lance
Ponderet aequa.
4 Te pium ſperem, modo noſtra vultu
Vota pacato excipias, tuaſque
Praebeas imo tibi corde fuſis
Vocibus aures.
5 Gens ſtudet noſtris inimica damnis,
Fortis & caedem minitatur hoſtis,
Nec Deus vindex animo, nec ultrix
Ira recurſat.
6 Excubat noſtrae Deus at ſaluti,
Et fovet dulci gremio receptum;
Tuta ſub tanto mea ſe tuetur
Vindice vita.

7 Quae meo intentant capiti, fac hoſtes
Sentiant in ſe rediiſſe, cladem,
Per fidem oratus, mihi comparantes
Disjice gentes.
8 Tunc libens ſacris operabor aris,
Et tuo laetos modulabor hymnos
Nomini, quo nil melius, nihilque
Sanctius uſquam;
9 Quod mihi adverſos ſuperare caſus
Soſpiti, erecto dederiſque vultu
Cernere afflictos, domitoſque foedis
Cladibus hoſtes.

PSALMUS LIV.

Exaudi Deus orationem meam, & ne &c.

1 *Fugiens Saulem, ſeu Abſalonem perſequentem, Deum pro liberatione exorat, Chriſti patientis, hominis juſti, & Eccleſiae ab impiis divexatae perſonam, & ſenſa exprimit.*

2 EXcipe, ſumme Pater, vultu mea vota ſereno,
Neu ſpernas, humili quas damus ore preces;
Luctiſonis faciles praebe clamoribus aures,
Nec concepta ſuo pondere vota vacent.
3 Quae mala me exercent, tacita dum mente revolvo,
Heu quot triſtitiae fluctibus exagitor!
Territat inſultans hoſtis me voce minaci,
Vexat & indignis impius uſque modis.

4 In

4 In me conjiciunt probra mille, & crimina fingunt,
Inque meum frendens irruit ira caput.
5 Ima dolor ſenſu praecordia ſtringit amaro,
Inſtat vicinae mortis ubique timor.
6 Et timor, & gelidus totos tremor occupat artus,
Et lux ex oculis fugit amica meis.
7 Quis volucres, dixi, mihi tergo accommodet alas,
Proſpecto quales hoſte columba quatit?
Sic rapidis deſerta petam, & nemora avia pennis,
Abditus & tuta ſede quietus ero.
8 Arripui procul inde fugam, lucemque peroſus
In ſolis manſi, delituique locis.
9 Atque hic auxilium ſolo opperiebar ab Illo,
Unde optata mihi eſt non ſemel orta ſalus,
Cum me turbato tempeſtas horrida fluctu
Mergeret, & trepido deficerent animi.
10 At, Deus, exitio audaces Tu merge profundo,
Atque infenſa mihi disjice colloquia.
Vidi ego juratos in me concurrere cives,
Atque rebellantes vertere ad arma manus.
11 Impietas tota victrix dominatur in urbe,
Et vigil in muris nocte, dieque ſedet;
In medio labor immeritos exercet iniquus,
Cenſetur numero faſque, nefaſque pari;
12 Opprimit, & miſeros jugulat grave foenus egentes,
Et fraus in toto regnat iniqua foro.
13 Quod ſi mecum odiis inimicus certet acerbis,
Offenſas aequa tunc ego mente feram;
Si quicum fuerat mecum longaeva ſimultas,
Foeda ingeſſiſſet probra, truceſque minas,
Perfugium caecis quaeſiſſem forte latebris,
Vitaſſem & capiti damna parata meo.

14 (a) At

14 (a) At mecum antiquo vivebas foedere junctus,
Qui nunc infidam prodis amicitiam.
Conſiliis ſic ipſe tuis, & voce regebar,
Ut coeptis eſſes duxque, comeſque meis.
15 Mecum communes epulas celebrare ſolebas,
Divinam unanimi relligione domum.
16 Fallaces, ſimileſque tui mors occupet atra,
Mergat & infernis corpora viva vadis.
Cum vitiis habitant hi nempe penatibus jiſdem,
Et media in coetu culpa frequente ſedet.
17 Aſt ego voce Deum multa, precibuſque vocabo;
Incolumem cunctis eruet Ille malis.
18 Cum ſerus veſper, primus cum fulſerit Eos,
Et medio cum ſol egerit orbe rotas,
Aerumnas illi recinam, & mea triſtia fata;
Audiet & voces protinus Ille meas.
19 Hanc animam mediis ſervabit ab hoſtibus, & me
Pace dabit, nullo praepediente, frui.
Quanquam illi infeſtis gladiis me cominus urgent,
Confertaque gerunt impia bella manu.
20 Audiet orantem, qui ſaecula cuncta praeivit,
Illos exanimi corpore ſternet humi.
21 Conſilia in melius nec enim revocare laborant,
Tergo impendentem nec timuere Deum;
Idcirco ultricem extendens in vulnera dextram
Praemia pro factis, quae meruere, dabit.
22 Hoc poſcunt foedo violatae crimine leges,
Fractaque mutata pacta ſacrata fide.
Sed Deus irato perculſos conteret ore;
Jam decreta alto pectore poena prope eſt.
23 Quiſquis, es in Dominum ſimul omnes rejice curas:
Ne dubita, rebus conſulet Ille tuis.

(a) Achitophel.

Juſtus in adverſis rerum ſi fluctuet undis,
Non tamen aeternum dira procella fremet.
24 At Tu perpetua damnatos morte nocentes
In vada dejicies non remeanda, Deus.
Qui fraudes agitant, ferrum qui caede cruentant,
Tempora nec vitae dimidiata trahent.
Verum ego quidquid opis, quod fas ſperare ſalutis,
Id, Deus, auxilio conſequar omne tuo.

PSALMUS LV.

Miſerere mei Deus, quoniam &c.

1 *A Saule profugus, & ex manibus Regis Achis per inſaniae ſimulationem elapſus, & in ſpeluncam abditus ſuam in Deo, ejuſque promiſſis fiduciam oſtendit.*

2 ADſis e Caelo, Deus, ac miſerare jacentem,
Me proterit mortalis, ac peſſum premit.
Pugnat atrox, odiis nunquam ſatiatus iniquis,
Inſtatque totos in meas clades dies.
3 Collatis multi coierunt viribus hoſtes,
Pede & ſuperbo contudere jam caput.
4 Inde diem timeo, ut medium ſubit altior orbem,
Fidiſque conor me tenebris abdere.
Sed ſpes in tanto me recreat una timore,
Spes in tuo quae ſtat locata Numine.
5 Te recolam compos voti, & mihi facta revolvens
Promiſſa, tantam laudibus fidem efferam.

Spes

Spes mihi firma Deus: mortalia nulla timebo;
Humana nec de me quid ira cogitet.
6 Dicta illi ſtudiis carpunt, & facta malignis,
Unumque curant immerentem perdere.
7 Mecum habitant, fraudes ſimul alto corde recondunt,
Oculiſque limis, quo pedem vertam, notant.
8 Sed velut hi noſtram tendunt invadere vitam,
Sic his ſalutis non patet per Te via.
Quin potius juſta conſurges concitus ira,
Et dira vaſta capita clade conteres.
9 Emenſos Tibi narravi, Rex ſumme, labores,
Tu lacrymas Tibi ponis ante oculos meas.
10 Sic fore pollicitus fueras: inimica retrorſum
Jam, Te premente, gens feret veſtigia.
Quo Te cunque die ſupplex in vota vocaro,
Expertus, eſſe Te mihi ſcio Deum.
11 Proin tua verba canam ſemper, carituraque certa
Nunquam fide promiſſa laudabo tua.
12 Me ſpes ſolatur Domino commiſſa potenti:
Homo haud timebo quid mihi paret mali.
13 Vota tuas reddam ſuſcepta operatus ad aras,
Tibique dignas concinam laudes memor.
14 Namque animam hanc avidi ſervaſti e faucibus Orci,
Mei ſtetere, fulciente Te, pedes.
Hinc Tibi me adnitar factis, dictiſque probare,
Spirabilis dum veſcar aura luminis.

PSAL-

PSALMUS LVI.

Miſerere mei Deus miſerere mei &c.

1 *Saulem fugiens, & in ſpelunca Engaddi abditus petit a Deo liberationem a perſecutione, ejus bonitati confidens, & Chriſtum praeſignat.*

2 SUmme Deus, miſerare aegrum, miſerare dolentem:
Scilicet in Te uno ſpes mihi tota ſita eſt.
Spes eſt una, tuis requieſcere poſſe ſub alis,
Impia dum ſcelerum tempora praetereant.
3 Imus ego ſummum clamore ciebo Tonantem,
Multa dedit larga qui mihi dona manu.
4 Miſit enim Caelo auxilium, me ex hoſte recepit,
Et mea damna illi vertit in opprobrium.
5 Juſtitia, & Pietas celeres tua lapſa per auras
Hanc animam ex avidis faucibus eripuit.
Nam, quales catuli paſtorum caede leonum,
Sanguine certarunt ora rigare meo.
Horrida adhuc turbant pavidum ſimulacra ſoporem,
Exterretque oculos triſtis imago meos.
Nunc etiam dentes acuunt; ſunt lurida dentes
Spicula, quaeve arcu miſſa ſagitta volat.
O quae mordaci infligunt fera vulnera lingua!
Hanc gladium, aut gladio dixeris eſſe parem.
6 Te, Deus, aetherea noſcant ſuper arce tonantem,
Et tua per totam gloria regnet humum.

7 Aſpi-

7 Aſpice; caeca meis poſuerunt retia plantis,
Conati ad terram detrahere exanimem.
Quacunque ingrederer, ducta ſcrobe ſemita clauſa eſt,
Foſſa ſed auctores obruit illa ſuos.
8 Quae Tibi cunque placent, Deus, en me ferre paratum;
Aequa mente feram, quae Tibi cunque placent.
Quidquid & acciderit, grato Te carmine dicam,
Et faciam ſimiles reddere plectra modos.
9 Surge anime, & ſolitum jam pectore concipe Numen,
Jam reſides chordae ſurgite, ſurge chelis.
Diſcutiet primus noctis cum Lucifer umbras
Corripiam molli membra refecta thoro,
10 Et tua vulgabo in cunctas praeconia gentes,
Audiet & cantus ultima terra meos.
11 Nam tua ſe Pietas ſuper ardua ſydera tollit,
Juſtitia & nubes tranſvolat aerias.
12 Ergo tuum late reſonet ſuper aethera Nomen,
Et tua per terras fama perennis eat.

PSALMUS LVII.

Si vere utique juſtitiam &c.

1 *Arguit impios conſiliarios Saulis, omneſque injuſtos, eiſque maturam poenam denuntiat.*

2 SI lingua verax juſtitiam crepat,
Si juſta vobis ex animo placent,
Recta elocuti, recta veſtris
Judiciis, homines, probate.

3 At

3 At vos maligno crimina pectore,
Molimini, mox vertitis improba
Ad auſa dextras, & venuſtis
Inſtruitis malefacta verbis.
4 Stulti vel ipſo matris ab ubere
Tranſverſi aguntur; prima crepundia
Culpae eſt rudimentum, ſtrophaſque
De tenero meditantur ungui;
5 Qualis veneno turgidus emicat
Serpens, vel aſpis ſurda, volubili
Quae novit obturare cauda,
Ne ſonitu feriantur, aures,
6 Fruſtraque ſolers arte veneficus
Arcana in auras carmina murmurat;
Non cantiones illa curat,
Nec magicis capitur ſuſurris;
Talis quoque illis ſeu furor inſidet,
Seu pervicacis durities fera
Cordis, nec ullis edomanda
Alloquiis, monitiſque nullis.
7 Horum retundet vulnificos Deus
In ore dentes, ſaeva rudentium
Molas leonum praepotente
Conteret, excutietque dextra.
8 Aqua ut citato labitur agmine,
Sic & nocentum deſinet impetus:
Jam Numen arcum, jam tetendit
Tela feras domitura vires.
9 Cera ut propinquis liquitur ignibus,
Sic diſſipatus defluet impius:
Deſcendit en ignis, nec almum
Deficiens videt ille Solem.

10 (a) Spineta duris caeſa bipennibus,
Cum nondum adultis rhamnus aculeis
Sylveſcit, ut flammis vorantur,
Ante diem caditis ſceleſti,
Vivoſque vindex ira vorat.
11 Pius
Laetatur ultus facta nocentia,
Fuſoque reſperſus cruore,
Caede manus lavat impiorum.
Vox una cunctis: Praemia ſi capit
Probata virtus, eſt Deus, eſt Deus,
Mortalium qui facta librat
Quique vicem meritis rependit.

PSALMUS LVIII.

Eripe me de inimicis meis &c.

1 *Domi ſuae a Saulis Satellitibus cuſtoditus, & ad necem quaeſitus, Dei auxilium implorat, inimicis ſupplicia praedicit, quae omnia in Chriſtum conveniunt a Judaeis exagitatum, eorumque juſtam punitionem.*

2 DEus, cruentis me tuere ab hoſtibus
Adverſus inſurgentibus;
3 Me de nocentum manibus educ, obſecro,
Caedi paratis impiae
4 En me plagis cepére ceu venaticis (b),
Magniſque adorti viribus

(a) S. Hieron Antequam creſcant ſpinae veſtrae in rhamnum.
(b) Graec. venati ſunt.

Dein irruerunt: Conſcium teſtor tuum
Numen, Deus Sanctiſſime,
5 Non culpa, & aliquo crimine id factum meo;
Sum totus extra noxiam.
6 Exurge, Teque da mihi ſis obvium,
Meoſque caſus aſpice;
Tu, cui cohortes militant Caeleſtium,
Tu verus Iſrael Deus,
Deſcende, cunctis jus daturus gentibus,
Expende vitas omnium;
Neu parce iniqua facta perpetrantibus,
Pietas nec ulla molliat:
7 Ad ſe redibunt, cernere incipient diem,
Surgente ſed jam veſpero.
Tunc ſero ſapient; nulla ſe oſtendet via,
Vel ſpes ſalutis perditis.
Sed eſca egentes circuibunt oppidum,
Canes velut famelici.
8 Nunc interim de me loquuntur impia,
Et ore verba glutiunt;
Enſes eorum ineſſe labris dixeris,
Sic lingua acuta vulnerant.
Nam nos quis, ajunt, muſſitantes audiit,
Dictiſve teſtis adfuit?
9 Sed Tu, Deus, ridebis hos; teruncii
Gentes vel omnes non facis.
10 Tu tota noſtrae cauſa fortitudinis,
Et tutor, & cuſtodia;
Tu ſoſpitali me recepiſti ſinu,
Deus ter, & quater meus.
11 Quae me praeivit hactenus, Pietas tua,
Omne praeibit tempore.

12 En auguror: Poenas Deus me cernere
Dabit luendas hoſtibus.
Ah parce cladi, parce populares meos
Vel ſic merentes perdere,
Ne obliterata forte noſtrae funditus
Gentis memoria intercidat.
Potius tua diſperde eos potentia
Terras per omnes exules,
Summoque honoris dejice e faſtigio,
Defenſor o noſter, Deus.
13 Illos peregit proprius ſermo reos,
Et verba condemnant ſua.
Qui jam ſuperbos extulere ſpiritus,
Captiva colla deprimant:
14 Dira execrati, fraude mentiti mala
Fama arguentur publica,
Cum verſa flammis urbs ruet voracibus,
Deique ab ira concidet,
Nec amplius Judaea gens erit, vetus
Nec Abrahami gloria.
Regnare in Iſraele tunc ſcient Deum,
Cunctiſque terrae finibus.
15 Ad ſe redibunt, cernere incipient diem,
Surgente ſed jam veſpero.
Tunc vero ſapient; nulla ſe oſtendet via,
Vel ſpes ſalutis perditis.
Sed eſca egentes circuibunt oppidum,
Canes velut famelici,
16 Paſſim vagantes parca quaerent pabula
Terras per omnes exules;
Explere longam ſi denegetur famem,
Sortem querentur aſperam.

17 Tuam

17 Tuam canam ſed ipſe fortitudinem,
Quandoque primum luxerit.
Tuamque gaudens efferam clementiam
Majore dignam carmine,
18 Ad Te receptus quod mihi, & portus fuit
Atro in malorum turbine.
Te noſtra dicent plectra, Te, vindex meus,
Te vita, Te ſalus mea.

PSALMUS LIX.

Deus repuliſti nos &c.

1 *Per occaſionem belli, quod Davidi interceſſit cum*
2 *Philiſtaeis, Moabitis, Syris, & Idumaeis, a quibus fuerat laceſſitus, Dei opem implorat, ſibique victoriam auguratur, quae Chriſto, & Eccleſiae accommodari poſſunt.*

3 JAm ſatis abjecti, Deus, a Te, immania paſſi,
Abſumptique ſumus; Tua nos ita perculit ira,
Tantorum ut facies dira, ac miſeranda laborum,
Sit quoque viſa Tibi.
4 Magna commota malorum
Diluvie, & crebro Terra haec attrita ſub ictu
Horret adhuc, laceroque oſtentat corpore plagas (a).
Tu, quae feciſti, demum lethalia ſana
Vulnera. Nonne vides? Longo turbata dolore
Ingemit, & moeſtas verſat ſub pectore curas.
5 Saevitum ſatis eſt; populo ſat dura dediſti

(a) Hebr. ſcidiſti, vulneraſti.

Fata tuo; auſteri bibimus ſat triſtia vini
Pocula, quae ſucco fauces, & viſcera torquent;
Jam ſapere incipimus, jam vitae poenitet actae;
6 Novimus: intentis ſinuoſi cornibus arcus,
Servitio Tibi devinctis non vana dediſti
Signa volaturae quondam per inane ſagittae,
7 Vitet ut impendens fatum Tibi chara propago.
Ergo me ſerva incolumem, mihi porrige dextram,
Sancte, tuam, proniſque has auribus excipe voces.
8 Audior: En noſtro fundit ſe pectore Numen,
Suggerit en voces, ſanctoque in Vate profatur:
Victor ego, imperioque potens Samaritidas Urbes
Partibor, quibus & tentoria fixit Iacob,
9 Limite metabor valles, Galaditis & ora
Tota mea eſt, ſervit victi mihi terra Manaſſis,
Belligeris & foeta viris Ephraimia noſtrum
Tutatur regio caput, & me robore firmat;
10 Accepit mea jura tribus quoque regia Judae,
Regum progenies, Regumque futura creatrix;
Nec jam ferre jugum provincia tota Moabi
Detrectat, gleba quae ſpes alit ubere noſtras,
Et veſcas noſtrae carnes in fercula menſae.
Nec ſatis haec; Libet & campis victricia ſigna
Figere Idumaeis, domitas curſare per Urbes;
Jamque peregrinae poſcunt mea foedera gentes,
Aera Philiſtaei jam vectigalia pendunt.
11 Quid mihi vincendum reſtat? Quis ducet, ubi arces
Munitae ſurgunt, atque urbs fortiſſima bello?
Quis me per mediam victorem ducet Idumen?
12 Quis, niſi Tu noſtrae, Deus, Arbiter unice fortis,
Cui tunc cum libitum res eſt evertere noſtras,
Deſertos liquiſti, inopeſque, atque omnium egenos?
Tu-

Tuque adeo in bella egrediens non robore noſtro,
Non armis fidis, non cinctis aere catervis,
Sat propria virtute potens, magni agmnis inſtar.
13 Ergo, namque potes, Tu nobis rebus in arctis
Opportunus ades; vanum eſt aliunde ſalutem
Sperare, humanis, & fidere viribus. Iſto
14 Freti praeſidio magna, & praeclara geremus;
Ille premet, noſtros & funditus eruet hoſtes.

PSALMUS LX.

Exaudi Deus deprecationem meam &c.

1 *Oratio ſeu Davidis in exilio, ſeu populi in captivitate, ſeu hominis Juſti cujuſvis, ſeu Chriſti, ſeu Eccleſiae in malis ſuis Dei opem poſcentis, & ad Caeleſtem patriam aſpirantis.*

2 VOces precantis excipe,
Summae Deus clementiae,
Intende mentem ſupplici.
3 Terrae ultimis e finibus
Clamoribus te maximis
Rebus vocavi in aſperis,
Dum cor mihi tabeſceret
Doloris aegritudine;
In arce munitiſſima
Tu me locaſti ſoſpitem;
4 Dubiae per anfractus viae
Tu praebuiſti Te ducem;

Tu ſpes mihi certiſſima,
Tu dira contra praelia,
Adverſus hoſtes impios
Turris fuiſti ahenea.
5 Ergo tuis Sacrariis
Semper morabor abditus;
Sub matre ceu pullus pavens
Alis cubabo ſub tuis,
Tuaque ab umbra protegar.
6 Tu vota, Tu ſemper preces
Audire ſuetus es meas,
Meus ter, & quater Deus;
Mihique, quotquot & tuum
Nomen verentur, & colunt,
Jam deſtinatum deferes
Haereditatis maximae
Perenne patrimonium.
Mens auguratur praeſcia:
7 Regis Tibi cariſſimi (a)
Vitae ampliabis terminos,
Dies diebus aſtruens,
Annos & uſque protrahes
De ſtirpe ſtirpem in alteram.
8 Jamque Ille ſummo Numini
Aeternus aeterno aſſidet
Et obtinet per omnia
Commune regnum tempora.
Huic quanta ſit clementia,
Et quanta dictis veritas,
Quis quaerat, aut quis aeſtimet?
9 Tuo ergo, Sancte, Nomini

De-

(a) i. e. Chriſt.

Devota pangam carmina
Omni canenda ſaeculo,
Tibique vota debita
Reddam diebus omnibus.

PSALMUS LXI.

Nonne Deo ſubjecta erit &c.

1 *Se ipſum ad patientiam in adverſis, & confidentiam in Deo adhortatur, noſque item Deo, non divitiis fidere docet.*

2 NUm Dei ſubdi imperio negabit
Spiritus noſter? ſed enim per illum
Gaudeo parta, fruar & perenni
Uſque ſalute.
3 Hic mihi ſemper Deus, hic ſalutis
Auctor, hic vitae columen caducae;
Nulla me tanto quatiet ruina
Numine nixum.
4 Quandiu infeſtis inimica telis
Agmina, in me unum ruitis? cupido
Tanta quae, noſtrae rabieſque caedis
Incitat omnes?
Qualis eſt hoſte in fragili triumphus?
Sicut acclinis paries ruinam
Si det impulſu, lapideſve nullo
Glutine juncti.
5 Invidet noſtro fera gens honori,
Meque eo tendit ſpoliare; curſum

Plus ego intendo, ſitis aegra fauces
Torret anhelas.
Ore blanditi phalerata ficto
Verba contexunt, nec avara laudum;
Interim diras animo precati,
Damna minantur.
6 At Dei ſcitis animus verendis
Serviat noſter; patiens, ſilenſque
Hinc opem ſperet: Deus una nobis
Vita, ſaluſque eſt.
7 Vindice hoc, nunquam ſtatione cedam,
Nulla me vincet facies malorum;
8 Hic ſalus, hic eſt decus omne, ſpeſque,
Praeſidiumque.
9 Fidite huic, omnes populi, quot eſtis,
Votaque, & curas animo repoſtas
Fundite ante Illum, Potis Ille certam
Ferre ſalutem.
10 O genus mendax, homines, doloſa
Cuncta penſantes trutina, ſimulque
Arte fallendi, quaſi vanitatis
Foedere, juncti.
11 Auſa ſpem nulli faciant iniqua,
Nullus & rapto male parta quaerat;
Affluant gazae, procul eſto avari
Cura peculi.
12 Eſt Deus certo ſemel ore fatus,
Et manet dictis; duo me docentem
Audii: ſumma eſt Pietas, Tibique
Summa Poteſtas.
Tu, Deus, vitae medius ſedebis
Arbiter noſtrae, meritis daturus

Prae-

Praemia, aut poenas; ſibi quiſque ſortem
Fingit agendo.

PSALMUS LXII.

Deus Deus meus, ad te de luce &c.

1 *Cum fugiens Abſalonem lateret in deſerto Idumaeae, ſeu verius Judaeae, deplorat exilium ſuum, & deſiderium praeſefert videndi non tam terrenam patriam, quam Caeleſtem, qua in re omnium juſtorum deſideria exprimit.*

2 TE primis vigilans mane novo, Deus,
Exquiro ſtudiis; impatiens ſitit
Te mens, imo etiam Te caro geſtiens
Ambit, multiplici tacta cupidine.
3 Deſertis profugus verſet ut in locis,
Qua nulla eſt hominum trita ſolo via,
Nullus manat agris fons ſitientibus,
Has inter latebras, luſtraque inhoſpita,
Viſus ante tuos tam prope conſtiti,
Quam ſi ſancta tuae tecta colam domus;
Virtutemque tuam, quantum homini datur,
Vidi, & conſpicuam lumine gloriam,
Admirans animo;
4 Proin pietas tua,
Quae vita eſt potior, laudis erit ſeges
Noſtrae, Te labiis rite canentibus.
5 Dum grato aethereae munere perfruar
Lucis, fauſta Tibi deprecer omnia,

Et Nomen memorans, atque iterans tuum,
Ad Caelum geminas ſaepe feram manus.
6 Adjectiſque utinam viribus auctior
Divino hic vigeat munere ſpiritus,
Ceu diſtenta adipe, ac pinguia plurimo,
Florent egregio corpora robore!
Solvens ora tuis tunc ego laudibus
Teſtabor memori gaudia carmine.
7 Si, cum feſſa thoro membra reponerem,
Te nunquam immemori pectore depuli,
Cum primum roſeum ſol referet jubar,
Te ſemper recolam pectore ſedulo,
8 O & praeſidium, & dulce decus meum,
9 Pullis ut volucris mollibus incubat,
Illi laetitia gutture geſtiunt,
Alis lene cubans, ſic ego ſub tuis
Vocali retegam gaudia gutture.
Poſt Te currere, Te prendere geſtiit
Mens deſideriis icta fidelibus,
Suſcepitque adeo me pietas tua
Dignata auxilio tendere dexteram.
10 Qui noſtris avidi cladibus imminent,
Conatu hanc animam ſurripere irrito
Tentarunt: Erebi ad regna dolentia
11 Detruſi, gladiis triſte minantibus
Tradentur, rabidis eſcaque vulpibus.
12 At Rex dextro agitans gaudia Numine
Fulgebit domitis inclytus hoſtibus;
Tum quicunque bonum rite colunt Deum,
Et Nomen pavidi ter venerabile
Jurant, exanimos nil veriti Deos,
Tollentur meritis undique laudibus.

Tunc

Tunc triſtes hominum prava loquentium
Pallebunt facies, oraque garrula
Torpebunt, ſtupido preſſa ſilentio.

PSALMUS LXIII.

Exaudi Deus orationem meam, cum &c.

1 *Dei auxilium petit contra adverſariorum calumnias, quas irritas fore praedicit, ſive id de Davide, ſive de Chriſto intelligatur.*

2 AUre precor, facili, Deus, excipe vota rogantis,
Et pavidum immani vindica ab hoſte caput;
3 Eripe me coetus e ſeditione maligni,
Quaeque ſcelus meditans plurima turba coit.
4 Nam veluti gladios, linguas acuere procaces,
Intentuſque manu lethifer arcus ineſt.
Inſidiis tecti, ſcelus, expediere ſagittas,
Innocuum feriant ut ſine teſte latus.
5 Continuo at poſito torquebunt tela timore;
Sic ſedet immotum pectore conſilium.
6 Mentita fraudes ſpecie, dixere, tegamus:
Quis valet occultas detegere inſidias?
7 Plurima commenti ſunt crimina; inania vero
Crimina ſucceſſus non habuere ſuos.
8 Quae fuerit molitus homo ſub corde profundo,
Ridet, & aſſurgit clarior inde Deus.
9 Torta manu hoſtili ceciderunt tela ſine ictu,
Irrita, ceu pueri ſpicula miſſa manu;

Caſſa-

Caſſaque ceſſerunt pravae convicia linguae;
Verſaque in auctores mox rediere ſuos.
10 Quicunque aſpiciunt, caſu turbantur acerbo,
It gelidus cunctis ima per oſſa timor.
Tunc miranda Dei narrabunt facta, ſimulque
Conſilia agnoſcent non bene nota prius.
11 Tunc placitura Deo celebrabit gaudia juſtus,
Ejus & in certa ſpem ſibi ponet ope;
Et recti cultor, culpaque immunis ab omni
Pro meritis laudum praemia digna feret.

PSALMUS LXIV.

Te decet hymnus &c.

1 *Inducuntur Hieremias, & Ezechiel Prophetae, ſive ipſe populus Judaicus orans liberationem a captivitate, & reditum in Jeruſalem, quibus figuris & liberationem generis humani a captivitate Daemonis, & infidelium converſionem ab Idolorum cultu, & hominis juſti a miſeriis vitae ereptionem deſignat.*

2 TE decet feſto celebrare cantu
In ſacra excelſae, Deus, arce Sion;
Et Tibi auguſta Solymae ſub aede
Solvere vota.
3 Has, precor, voces miſeratus audi:
Omnis exemplo ſtimulata noſtro
Gens tuas, qua qua patet orbis, aras;
Templaque adibit.

4 Jus datum late ſceleri, nefaſque
Faſque permiſtum luimus merentes:
Tu pius noxis, pariterque poenis
Solve precantes.

5 Ille ter felix, tua quem voluntas
Legit, aſcitum numero tuorum,
Cui Tibi ſacri celebrare detur
Atria templi!

6 Quanta nos illic bona, quae voluptas
Nos manet pleno potienda voto!
Quae redundantes opulenta rerum
Copia paſcet!

Sanctitas circum tua templa veſtit,
Hic nihil pravum; nihil hic iniquum;
Turba miratur, ſacer & paventem (a)
Concutit horror.

7 O ſalus nobis, Deus, una cunctis
Spes ad extremas ubicunque metas
Pertinet tellus, procul & refuſum
Murmurat aequor,

Has preces audi:
8 Tua magna virtus,
Quaque praecinctus graderis, poteſtas,
Firmat immotos, ſtabilitque vaſto
Pondere montes.

Tu procelloſi vada ſalſa ponti
Fluctibus miſces, agitaſque ventis,
Et cava undarum reſonare pulſu
Littora mandas.

9 Si qua contriſtent tua ſigna Caelum,
Pallidus gentes pavor occupabit,

Quot-

(a) Hebr. pro *mirabile* habet *terribile*.

Quotquot extremis habitant repoſtas
Finibus oras.
Sol ubi primo radiabit ortu,
Aſtra ubi dulcem referent ſoporem,
Tempora alternans peragrabit orbem,
Blanda voluptas.
10 Reſpicis terras, bibulaſque glebas
Imbre perfundis, riguoque rore,
Fundit & largos opulenta cornu
Copia fructus.
Vitrei lympha trepidante campos
Alluunt amnes hominum daturos
In cibum fruges: ea firma rerum
Foedera ſancis.
11 Qua levi rivus properat ſuſurro,
Pura pubentes aqua lactat herbas;
Surgit hinc laetum, viget & ſalubri a-
ſpergine germen.
12 Orbis exacti revolutus anni
Per vices ſentit tua dona certas,
Et tui foetu, gravidoque turgent
Ubere campi.
13 Quin & inculti ſpecioſa vernat
Forma deſerti, viret herba ſcabras
Nata per rupes, varioque rident
Gramine colles.
14 Candido it pratis aries amictus
Vellere, hunc denſae pecudes ſequuntur,
Quae gregem ſupplent, geminoſque lactant
Ubere foetus,
Ima frumenti gravidis ariſtis
Fluctuat vallis, Tibi cuncta feſto

Per-

Perſonant plauſu, Tibi cuncta dicunt
Carmine laudem.

PSALMUS LXV.

Jubilate Deo omnis terra, pſalmum &c.

1 *Omnes homines invitat ad gratias Deo agendas ob ſervitutem depulſam tum a Judaeis, tum ab univerſo humano genere.*

2 Laetitiae date ſigna nova, atque attollite plauſus,
Terrigenae, quotquot ſol ſpectat uterque recurrens,
Et ſummum celebrate Deum, Nomenque verendum
Dicite, percuſſis aptantes carmina nervis,
Illius ut dignas evulget gloria laudes.
3 Dicite: Summe Opifex rerum, quam mira, ſacroque
Digna metu dextrae ſunt inclyta facta potentis!
Quanta Tibi virtus! non credat barbarus hoſtis
Impia mentitus de Te, atque indigna locutus;
Prodentur convicta tuis mendacia factis.
4 Cuncta Tibi pſallat tellus, Teque omnis adoret
Gens meditata tuum concordi carmine Nomen.
5 Huc populi properate omnes, & magna videte
Geſta Dei: Quam terribilis, quamque Ille profundis
Conſiliis hominum caſus, ac fata gubernat!
6 Ut loquitur, juſſum cedit mare, & arida tellus
Apparet, qua fluctus erat; dant flumina latam
Sponte viam, & ſicco pede trajiciuntur euntis.
Hinc

Hinc noſtri plauſus, hinc nobis omnis ab illo
Laetitia.
7 Ille ſua ſemper virtute regendum
Obtinet imperium, genteſque altiſſimus omnes
Aſpicit: Impune haud illi contendere quiſquam
Audeat, aut frontem contra oſtentare rebellem, (a)
Neu propria nimium fidat virtute ſuperbus;
8 Quin potius cuncti magnum celebrate Tonantem
Per terras populi, & toto praeconia mundo
Spargite;
9 Qui per tanta meam diſcrimina vitam
Expediit, dedit & firmos conſiſtere greſſus,
Nutantem haud paſſus miſero procumbere caſu.
10 Heu quantae, Rex ſumme, vices, heu quanta probarunt
Nos mala! Quam variae tulimus ludibria ſortis!
Ceu faber argentum ſuccenſo explorat in igne,
Torquet & ardenti conflatum ſaepe camino.
11 Vincta diu duris oneraſti colla catenis,
Preſſa fatigaſti ſub iniquo pondere terga,
Et domini famulis inſultavere feroces;
12 Denique per flammas nobis via facta, per undas,
Donec in optata feſſis conſidere terra
Poſſe datum.
13 Gaudens ergo tua templa ſubibo,
Atque holocauſta feram ſacros adolenda per ignes,
Votaque perſolvam conceptis edita verbis,
Et labiis deprompta meis, ſub mole malorum
Cum gemerem:
14 Te votorum damnatus adibo,
15 Lectaque procumbet ſacra Tibi caeſa bipenni
Vi-

(a) Chald. legit rebelles.

Victima; ſuccenſis aries mactabitur aris
Thure vaporatis multo, tum ſanguine terram
Cornibus auratis taurique, hircique rigabunt.
16 Huc o adeſte omnes, animoſque advertite veſtros,
Qui Superum colitis Regem; Memorare juvabit,
Quae mihi contulerit, quantis cumulatus ab Illo
Muneribus fuerim; quid enim ſine Numine poſſem?
17 Ipſo dante, Deum magno clamore vocavi,
Ejus & in laudes exultans ora reſolvi.
18 Verum ſiqua meo labes in corde lateret,
Nequicquam vanis laſſarem ſydera votis.
19 Sed Deus inſontem audivit, mentemque precantis
Vocibus intendit.
20 Deus euge, o Maximus euge
Ter Deus, averſa qui non mea reppulit aure
Vota, nec abjecto pietatem adhibere negavit.

PSALMUS LXVI.

Deus miſereatur noſtri &c.

1 *Meſſiae adventum optat, ac praedicit.*

2 LOngis miſertus nos levet malis Deus,
Suiſque donis muneret;
Suique clarum lumen oris proferat,
Opemque feſſis afferat.
3 Ut terrae in hoc errore inextricabili,
Quae ducat ad Te ſemita,
Cernamus, omnes ut ſibi per Te datam,
Deus, ſalutem intelligant.

4 Populi perennes Tibi rependant gratias
Tanto obligati munere;
5 Agitentque inuſitata gentes gaudia,
Quod cuncta recte judices,
Mundumque ſanctis inſtitutum legibus,
Ad ſaniora dirigas.
6 Populi rependant gratias: Tandem ſuum
Jam terra Fructum protulit.
7 Suis Deus nos affatim ditet bonis,
Noſter ſecundet nos Deus,
Caeleſtium Dator ille munerum ſuis
Ditet bonis nos affatim,
Eumque terrarum ultimi fines colant
Pleni ſacra formidine.

PSALMUS LXVII.

Exurgat Deus &c.

1 *Decantat utriuſque Teſtamenti Myſteria, & ſub veteribus figuris Chriſti victoriam, in Caelum aſcenſum, Eccleſiam per Apoſtolos ſtabilitam declarat.*

2 EXurgat Deus, exurgat: Procul illius acti
Diſpereant hoſtes, & atrocia quotquot in illum
Exercent odia, aſpectu perculſa verendo
3 Terga fugae mandent; Tenues ut fumus in auras
Vaneſcit, mollis vicino ut liquitur igni
Cera, Dei objecto pereant ſic ore nocentes.

4 At

4 At gens juſta hilares epulas, feſtaſque choreas
Concelebret, praeſente Deo; licitaque fruatur
5 Laetitia. Summo laudes cantate Tonanti,
Felices populi, Caelo dilecta propago,
Carmine & invictum ſuper aethera tollite Nomen.
Caeleſti reſerate viam, ac decedite Regi (a),
Qui celſo invehitur ſupra mortalia curru,
Mortaleſque vices, mortiſque ferocia jura;
6 Eſt Illi Dominus nomen: celebrate triumphum
Inſolitum, ante oculos magni Victoris, & ora;
At contra inſano turbati corda pavore
Aſpicient hoſtes flammantia lumina Regis,
Exitium ſibi triſte, ac fata extrema parantis,
Dum miſeros clemens, chariſque parentibus orbos
Aſciſcit natos, liteſque expendit iniquas,
Queis inopes torquet viduas praedator avarus.
7 Jam ſolio ſedet Ille ſuo, ſua Regna triumphans
Jam tenet; inde facit ſubjectis otia terris,
Concordeſque animos aeterno foedere jungit;
8 Quique catenato geſtabant vincula collo,
Nexibus educit validi virtute lacerti;
Quique adeo ſcelerum lutulenta in faece putreſcunt
Defixi penitus, ceu condita membra ſepulcris,
Aſpera corda, ſuae temere obluctantia legi,
Hos quoque ab interitu revocat miſeratus acerbo,
Eductoſque umbris vitales tollit in auras.
9 Scilicet ille idem Deus es, quo gens tua longam
Praeteriit monſtrante viam, deſertaque vaſta,
Te comite intravit;
10 Tum terra tremoribus acta
Subſiluit validis, & toto vertice Sina

(a) Chriſto in Caelum aſcendenti.

Fumos volvit agens, tua cernens cominus ora;
Tum placidus gravidis ſtillavit nubibus imber,
Caeleſtique dape Abramidas, & languida pavit
Agmina, Te longos populi miſerante labores.
11 Sed nunc gentem aliam, cujus Tu diceris haeres (a),
Sponte tua meliore paras pius imbre fovere,
Muneribuſque aliam ditas potioribus Urbem.
Haec etiam attrita eſt (b) quondam, fractiſque labavit
Viribus; at laetis coepit floreſcere rebus
Auxiliis firmata tuis. Huc undique cunctae
Concurrent gentes, ſparſas in ſepta reducit
Paſtor uti pecudes.
12 Illo ſecurus ovili
Grex tuus inveniet, quae Tu delecta paraſti
Paſcua, caeleſtique famem ſolabitur eſca;
Tanta tuum in miſeros mollit clementia pectus.
13 Dein ſua (c) legatos vulganda ad juſſa miniſtros
De ſe narrantes, de ſe praeclara loquentes
Vi multa, Deus ipſe dabit majore tonare
Eloquio, infundetque labris ſua verba diſertis.
14 At Rex (d), chara Deo ſoboles, quem prae omnibus unum
Diligit ardenti ſtudio, cui mille phalanges
Sunt praeſto, exuvias, & capta ex hoſte trophaea,
Vi nulla, nullo Martis terrore, ſuorum
Virtuti tribuet, quo regia tecta decore
Ornentur cumulata novo. Comes addita tanto
Turba Duci, jam nunc Urbi tranſcripta futurae,
15 Macte animi, magno te quippe auctore tueris.

Sor-

(a) Chriſtianum Populum, & Eccleſiam.
(b Ob perſecutiones.
(c) Apoſtolos.
(d) Chriſtus.

Sorte data eſſe homini noſti duo (a) foedera, genti
Quae Deus ipſe ſuae vario pro tempore ſcripſit:
Haec ſi reſpiciens, foedus venereris utrunque,
Utraque ſi Divina animum tibi pagina firmet,
Ad cumulum ſummi nihil (b) Urbi deerit honoris;
Quae ſic fulgebit, ceu tota nitens argento,
Et dorſi pennas pallenti concolor auro
Splendeſcit, ſpatians adverſo in ſole columba.
16 Electos Proceres, Judaeae lumina gentis,
Omnipotens Rex ſecernit, qui rebus agendis
Praeſideant, Urbiſque datas moderentur habenas.
Tum populi, juga (c) Selmonis per opaca vagantes,
Agreſtes populi, morum ſqualore relicto,
Aequabunt candore nives.
17 Eſt ille Deo mons
In primis charus, pinguiſſimus ubere glebae.
Ubera lacte ferunt illic diſtenta capellae,
Illic laeta viget foecundae copia terrae.
Quid pingues alibi certatis quaerere montes?
Ille Deo ſolus placet, illic & ſua templa,
Et certas poſuit ventura in ſaecula ſedes.
18 Dena triumphalem circumſtant millia currum,
Quo Deus invehitur, terras delapſus in imas;
Illa ſuo Regi teſtantur gaudia feſto
Carmine, laetitiaque fremunt, humeroſque volentes
Subjiciunt; Tali vectus ſedet Ille quadriga
Sinae conſiſtens in verticibus ſacratis.
19 At Tu, certa Dei Proles, Supera alta petiſti
Captivos tecum ducens, & ſponte ſequentes,

 No-

(a) Duo Teſtamenta. Mira hic interpretationum varietas. Nos Bellarm. & antiquos PP. fere omnes ſequimur.
(b) Eccleſiae.
(c) Eccleſia ex gentibus congregata, quae monti Selmon aſperrimo ſed mox quaſi in uberrimum mutando, comparari videtur.

Nobile ſervitium, moeſtis quos ducta ſub umbris
Vincla coercebant; ſummaque in ſede locatus
Magna accepiſti pro factis munera, nulli
Vel conceſſa prius, vel concedenda per aevum,
Quae mox ipſe ultro regeras mortalibus aegris;
His etiam, Superum qui lucida templa tenentem
Non credunt regnare Deum, Caeloque tonare.
20 Jo Regnator, dicamus, ter bonus jo
Regnator Divum, atque hominum; cunctiſque diebus
Olli pro meritis referatur gratia tantis.
21 Nempe dabit curſu fluere omnia laeta ſecundo
Ille Deus noſtrae fons, principiumque ſalutis;
Nam multos ſervare, & aperta pericula lethi
Propulſare Illi proprium eſt; Hoc vindice cunctas
Eſt vitare vices, certamque evadere mortem.
22 At ſi quis tumida contra cervice feratur
Impius, adverſaque velit concurrere fronte,
Confringet caput indomitum, frontemque ſuperbam
Conteret, & ſparſos foedabit pulvere crines.
23 Hoc fore pollicitus quondam: Qui pinguia, dixit,
Rura colit Baſani, illum felicibus oris
Abſtractum avellam, mox in ventoſa profundi
Aequora projiciam, tumidoque in gurgite mergam.
24 Tuque adeo hoſtilem madefacta per arva cruorem
Gens mea, calcabis pedibus, lingetque tuorum
Lingua canum: noſtris dicta haec ſors hoſtibus eſto.
25 Aſpicient tua geſta Deus, partoſque triumphos,
Magnum admirati, cui tanta potentia, Numen,
Numen idem, Regemque meum, quem Regia Caeli
Sancta tenet, ſancta regnat qui ſolus in aula
26 Carmina Victoris peragent praeconia: Primi
(a) Rectores populorum aderunt, cantuſque movebunt,
Pſal-

(a) Principes Eccleſiarum.

Pſallentumque choris numeris, ac voce praeibunt.
Caelicolae modulos recinent, Caelum omne ſonabit
Vocibus, ac fidium cantu, quas pectine docto
Turba Puellarum (a) citharas pulſare perita
Tanget, & ad reſonas aptabit carmina chordas,
Felices Animae, Superis decus addita Pubes.
27 Vox cunctis erit una; Deum celebrate canendo,
Et Domini laudes coetus memorate per omnes,
Quas Iſraelis pronum eſt e fontibus hauſtas
Promere libando, memoreſque revolvere faſtos.
At Proceres inter, ſequitur quos turba canentum,
28 (b) Beniamides aſtat, Caelum qui mente pererrat,
Egregius Juvenis, (c) Judae tum clara Propago,
Invictique genus (d) Zabulonis, & inclyta bello
Pectora, Nephtalidae. Deus o, tua perfice coepta,
29 Virtutique tuae, ſuſcepto praecipe ut inſtet
Gnava operi, jube & eſſe ratum, Te auctore quod actum
Hactenus eſt, propria & nobis tua munera ſerva.
30 Convenient Solymam Reges, Templumque ſub altum
Dona ferent, Tibi Divini indicentur honores,
31 Aſt hominum (e) portenta, feras per pigra latentes
Stagna paluſtris aquae, calamiſque, & arundine tectas,
Clamore excitas in lucem erumpere coge,
Atque ex inſidiis in apertum conjice bellum.
Ceu quondam indomiti, facto ſimul agmine, tauri
Imbelles agitant vitulos, foetaſque juvencas,

(a) Animae ſanctae in Caelum a Chriſto ductae.
(b) S. Paulus e tribu Beniamin
(c) Jacobus, Simon, Judas Apoſtoli.
(d) Caeteri Apoſtoli e Bethſaida, Urbibuſque ad ſortem Zabulon. & Nephtali pertinentibus.
(e) Haereticos, ſeu Ethnicos, ſeu Daemones.

Totaque veſano miſcent armenta tumultu,
Sic illi ingenio audaces, ac robore fiſi
Incautos pravis animos, ac mobile vulgus
Conſiliis ſtimulant, & in una ſede coacti, (tes
Concilium horrendum, populos arma arma fremen-
Sollicitant, cupidoſque infanda ad bella laceſſunt,
Ut ſede exturbent omni, coetuque piorum
Quemque bonum, cujus duris exercita virtus
Enituit, veluti argentum fornace probatum.
32 Infroenes, quae bella volunt, Tu disjice gentes;
Interea miſſi Aegypto (a), pacemque rogantes
Legati advenient; ſed & illos munera portans
Praeveniet ſacranda Deo, veniamque precata
Finibus Aethiopum extremis gens uſque profecta.
33 Omnia, quae totum floretis Regna per orbem,
Eja Deo laudes, & ſummo dicite Regi,
Eja Deum fidibus celebrate, & carmine fauſto,
34 Qui Caeli volucri curru ſuperevolat arces,
Prima renaſcentis qua panditur orbita ſolis.
Ecce dabit Deus ipſe ſonum, dabit ipſe loquendi
Vimque,animumque,ſuas dabit ipſe in carmina voces,
Et dabit ipſe ſuis virtutem ac pondera dictis.
35 Munificum celebrate Deum, percurrite fando,
Contulit Iſaciae quae plurima munera genti.
Scilicet & tempus veniet, cum luce refulgens
Illius in ſummis majeſtas, gloria, virtus
36 Nubibus eniteat, largeque impenſa beatis
Ordinibus Divum ſe mira potentia pandat.
Tunc Deus Iſacidum lectae fortiſſima plebi (b)
Pectora, nec duris frangendam caſibus unquam
Vir-

(a) Converſio Gentium.
(b) Electis.

Virtutem dabit. Ergo Deo laus, fama, decuſque
Perſonet, ac terras late vulgetur in omnes.

PSALMUS LXVIII.

Salvum me fac, Deus &c.

1 *Quamvis fortaſſe reſpiciat captivitatem Babylonicam, clare tamen praedicit Chriſti cruciatus, Judaeorum everſionem, Eccleſiae aedificationem.*

2 ME, Deus o, ſerva: ſuperantibus obruor undis,
Pota vias animae jam prope claudit aqua.
3 Hei mihi, fixa haerent craſſo veſtigia limo,
Lapſanteſque negant ſiſtere poſſe pedes.
Provehor heu pelago; veni jactatus in altum;
Horrida ſaevit hyems, meque procella vorat.
4 Feſſa fatigavi longis clamoribus ora,
Nec vox eſt raucis faucibus ulla ſuper.
Lumina deficiunt, intabeſcuntque tuendo,
Expecto Caeli dum miſerantis opem.
5 Plures ſe glomerant hoſtes, quam fronte capilli,
Ulla nec injuſti cauſa ſubeſt odii.
Invaluere, animis qui me inſectantur iniquis,
Et quae non feci crimina, morte luo.
6 Quae mihi ſtultitia objicitur, quae crimina, noſti;
Scis ut me faciat non mea culpa reum.
7 Ne ſaltem, ne ſint illis mea probra pudori,
Spes quos una tuo nixa favore tenet.
Noſtraque ne clades animos, ſtudioſaque frangat
Pectora conantum Te reperire, Deus.

8 Te propter ludus ſum vulgi, & fabula factus,
Noſtra verecundus ſparſit & ora rubor.
9 Fratribus ipſe meis veluti peregrinus & hoſpes,
Proh ſcelus! ignotus fratribus ipſe fui.
10 Me tua cauſa premit; labes ea prima malorum,
Quod me magna domus cura tuae coqueret;
Quaeque in Te audaci vomuere opprobria lingua,
Converſa in noſtrum nunc rediere caput.
11 Squalidus, abſumptus macie jejunia traxi,
Mecum velato multa gemens capite.
Aſt illi inſanis laxarunt ora cachinnis,
Opprobrioque mihi vel dolor ipſe fuit.
12 Horridus inceſſi ſetoſo indutus amictu;
Tunc quoque me ludos fecit iniqua cohors.
13 Judicia in portis ſoliti exercere ſedentes
Colloquia in noſtrum conſeruere caput.
Pocula ſiccantes largo ſpumantia vino
Laeto inter cyathos me cecinere ſono.
14 Verum ego voce, Deus, Te ſupplice compellavi:
Quod placitum eſt, miſeris jam dare tempus adeſt.
Ut pius es, noſtras audi miſerate querelas,
Ut verax, veniat fac mihi pacta, ſalus.
15 Ne penitus coeno infigar, quo pene ſepultus
Obruor, auxilio Tu mihi tende manum:
Tende manum, atque odiis hoſtilibus eripe, & imis,
In quibus haereſco jam periturus, aquis.
16 Ne me tempeſtas rapiat furioſa, profundum
Neu ferar undoſis in mare vorticibus;
Neu ſuperimpoſito putei clauſa oſtia ſaxo
Spem mihi praecidant quamlibet effugii.
17 Exaudi mea vota, Deus; clementia ſpondet
Hoc tua, cujus adhuc vena benigna fluit.
Per

Per, quae multa tuo pietas e corde redundat,
Aſpice me, hoc tantum; caetera dicet amor.
18 Ne a famulo avertas ora indignata rogante:
Heu crucior! votis heu cito adeſto meis.
19 Hanc animam ſpecta jam pene extrema ferentem,
Hanc ſerva e mortis faucibus incolumem.
Hoſtes ne noſtra victores clade triumphent,
Eripe me; cumulet nec mea damna pudor.
20 Ipſe vides noſtrae quae ſint diſpendia famae,
Ipſe vides, quantus ſtet rubor ante genas.
21 Ante tuos aſtant oculos, quibus opprimor, hoſtes:
Me labor heu quantus, quantaque probra ma- (nent!
Dudum expectavi; noſtri comes eſſe doloris
Qui vellet; nec quem tangeret, ullus erat.
Quaeſivi, alloquiis qui ſolaretur amicis,
Qui mea mulceret pectora, nemo fuit.
22 Fel fuit eſca mihi, mordax mihi potus acetum,
Cum mea torreret viſcera dira ſitis.
23 Aſt illis ſua menſa epulis inſtructa paratis (a)
Eliſam frangat, reſtis ut arcta, gulam;
Haec (b) ſcelerum poenas repetat, perdatque meren- (tes,
Et grave dejectos mergat in exitium.
24 Ex oculis lucem eripiat nox atra tenebris,
Et prono ſpectent corpore ſemper humum.
25 Laxatis totum froenis effunde furorem,
Et tua comprenſos hauriat ira ſequax;
26 Squaleat abductis regio deſerta colonis,
Et vacuae ſileant, nullo habitante, domus.
27 Quem Tu contuderas, inſultavere jacenti,
Atque nova addiderunt vulnera vulneribus:

At

(a) i. e. Sacri Libri, quibus Iudaei abutuntur.
(b) Praedictio excoecationis Judaeorum.

28 At Tu criminibus ſine & hi nova crimina nectant,
Nulla Tibi hos unquam gratia conciliet.
29 Impia radantur viventum nomina ab albo,
Impia, nec Sanctis adnumeranda choris.
30 Solus, egenus, inops altum premo corde dolorem,
Sed mihi Te, Deus, eſt vindice parta ſalus.
31 Ergo tuum memori celebrabo carmine Nomen,
Te merita ſupra ſydera laude feram.
32 Plus laus illa Deo vitulo eſt placitura novello,
Cui frons prima tumet cornibus, ungue pedes.
33 Haec inopes videant, inopinaque gaudia captent,
Exemplo ſperent & meliora meo.
Quaerite mente Deum, gens dura exercita ſorte:
In mediis requies haec erit una malis.
34 Audivit Deus afflictos, recreavit egentes,
Nec ſprevit vinctos compede crura gravi.
35 Hunc Caelum laudet, tellus, vada caerula ponti,
Quotquot & in vaſto gurgite monſtra natant.
36 Servabit Deus auguſtae ſacra tecta Sionis,
Et cernes urbes ſurgere, Juda, novas.
37 Illa ſede alii figent ſibi tecta coloni,
Et veteres haeres alter adibit opes.
Has genitor natis, tradentque nepotibus illi,
Florebitque Deo dedita poſteritas;
Aeternas illa ſedes ſibi ponet in urbe,
Si quem Divini Nominis urit amor.

PSAL-

PSALMUS LXIX.

Deus in adjutorium &c.

1 *Sive Chriſti in Cruce ſalutem corporis ſui, ſive hominis juſti ſuam defenſionem precantis ſenſa exprimit.*

2 ADeſto, adeſto adjutor, ac vindex meus;
Opem, Deus, fer ocyus;
3 Illiſque ſerus occupet rubor genas,
Qui me laborant perdere;
4 Victi faceſſant, ac pudore abſterriti,
Qui damna noſtra cogitant;
Cedant retrorſum turpiter, quotquot mihi:
Euge euge, clamant; vicimus.
5 Illi triumphent, efferantur gaudio,
Qui Te requirunt unice;
Et qui paratam a Te ſalutem diligunt,
Dicant: Deo ſit gloria.
6 En pauper aevum duco, & omnium indigens:
Tu me benignus adjuva.
Tu liberator, Tuque cuſtos es meus:
Ultra moram ne protrahas.

PSAL-

PSALMUS LXX.

In te Domine ſperavi &c. 2.

1 *Continuata Abſalonis defectione, David jam ſenex ſuam in Deo ſpem, Dei in ſe beneficia commemorat, ejus auxilium implorat, cujus ſe laudes praedicaturum pollicetur, normamque praebet Deum pro ſalute obſecrandi.*

2 IN Te, Rex ſuperum, ſpem poſui meam;
Spe nunquam poſita tam bene decidam.
Tu pro juſtitia protege me tua,
Totque e caſibus eripe.
Tu voces placidis auribus excipe,
Tu me lethi avidis extrahe faucibus,
Tu cuſtos vigil, ac praeſidium, Tuo
Fac me Numine ſoſpitem.
3 Tu noſtrum columen, perfugium, ſalus,
4 Tu me de manibus ſubtrahe noxiis,
Quae ruptis violant omnia legibus,
Et fas, juraque negligunt.
5 Tu virtus animi, Tu patientia,
Annis Tu mihi ſpes a juvenilibus,
6 Tu robur validum matris ab ubere,
Tu patrocinium mihi.
7 Te ſemper memori gutture concinam
In laetis pariter rebus, & aſperis;
Id multis ſimile eſt prodigii; at tui
Vis tantum auxilii valet.

8 Laudum magna meis copia largiter
Exundet labiis: Quae tua gloria,
Quantus ſiſque Deus, carmine perpeti
Dicam, quotquot eant dies.

9 Ne me, quem ſenium debile conficit,
Ne, quaeſo, abjicias. Aegra relanguit
Jam virtus gelidi corporis: Ultimo
Ne me tempore deſeras.

10 Hoſtes colloquiis me exagitant ſuis;
Et qui munierant ante mihi latus,
Verſis nunc ſtudiis inſidiantibus
Jungunt conſilia hoſtibus.

11 Illum, ajunt, ſtomachans deſtituit Deus:
Nunc tempus facili marte laceſſere,
Nunc colla impoſitis nectere vinculis;
Non eſt, qui eripiat malo.

12 Ah me ne fugias, neve abeas procul,
Neu linquas inopem praeſidii, Deus:
Jactatum miſeris aſpice caſibus,
Et tende auxilio manum.

13 Illos deficiat vis, pudor occupet,
Qui hanc tentant animam nectere fraudibus,
Illis & facies inficiat rubor,
Qui cladem mihi comparant.

14 In Te ſed mihi ſpes ſemper erit ſita,
Laudes uſque tuas laudibus aſtruam,
15 Semper juſtitiam, & quae miſeris ſalus
Eſt per Te data, concinam.

16 Doctrinae in ſtudiis inſcius, ac rudis,
Divinae impavida mente potentiae
Secreta ingrediar, juſtitiae modo
Vim mecum reputans tuae.

Unus

17 Unus Tu teneris doctor ab unguibus
Formaſti monitis me docilem tuis:
De Te mira ideo nunc, & in ultima
Vitae tempora proloquar.
18 Dum fractus ſenio deficiam gravi,
Ne me deſtituas, inclyta brachii
Donec facta tui poſt genitis canam,
Seris atque nepotibus.
19 Dicam magnificae ſigna potentiae,
Dicam juſtitiae, quae ſuper ardua
Caelorum edideris, quantaque feceris:
Quiſnam Te aequiparet, Deus?
20 Quantis, & quoties me quoque cladibus
Vexaſti! Unde tuo non ſine Numine
Emerſi ſuperas luminis ad plagas
Terrae e ſedibus infimis.
21 Verſis nunc vicibus, plurima congeris
In me magnifica munera dextera,
Et me vultu alio leniter intuens
Detergis mihi lacrymas.
22 Jus verumque adeo, quod colis integre,
Arguto fidicen pectine concinam;
Vocalis citharae Te recinet ſonus,
O Sancti Deus Iſrael.
23 Te dicam labiis, & ſimul efferar
Dulci laetitia; carmine geſtiet
Noſtrae vox animae mortis ab unguibus
Servatae auxilio tuo.
24 Nulla deinde tuam juſtitiam die
Indictam patiar, cum pudor, ac dolor
Elata obtuderit corda minantium
Extremum exitum mihi

PSAL-

PSALMUS LXXI.

Deus judicium tuum regi da &c.

1 *Capta occaſione a Salomone regnum auſpicante, cui ſapientiam & felicitatem precatur, ſtatim ad Chriſti adventum tranſgreditur, ejuſque regni propagationem, gloriam, felicitatem vaticinatur.*

2 O Qui regnorum eventus, ac fata gubernas
Conſilio ſapiente, hominum qui jura decoro
Ordine diſpenſas, & juſto foedere ſancis,
Judicii ad praeſcripta tui, Deus optime, Regi
Da populos moderari; & ſceptra paterna petenti
Nunc primum Regis ſoboli da ſcribere leges
Juſtitia dictante tua, quo froena recentis
Imperii, rerumque datas bene tractet habenas,
Et Tibi devotae gentis componere lites,
Et miſerae diſcat cauſas, & commoda plebis
Momentis penſare ſuis.
3 Pax aurea Caelo
Deſcendat noſtros praeſens inviſere montes,
Et populos opulenta beet, colleſque per iſtos
Juſtitia incedat, palla ſuccincta nivali,
Et recti ſtudium & mores inſpiret honeſtos.
4 Te rectore, novus (verum mens auguret opto)
Rex inopes, quoſcunque potens injuria vexat,
Judicio abſolvet, cuſtos rectiſſimus aequi,
Atque inopum natos digna, atque indigna ferentes
Eripiet capitis, fortunarumque periclo;

Quiquae ſacramentis fallax contendat iniquis,
Crimine deprenſo, victum, abjectumque remittet:
5 Dum ſol ignipedes obliquo aget axe jugales,
Lunaque per certos reparabit cornua menſes,
Aeterno nixus ſolio manſura tenebit (a)
Imperia, uſque hominum dum ſe nova ſaecla propagent.
6 Ceu quondam in vellus (b) nocturnus decidit imber,
Ceu ſtillat teneras ros matutinus in herbas
Deſcendens lapſu tacito, guttiſque minutis,
Haud ſecus Ille Dei nutu demiſſus ab alto
Imperium in magnum, terras delapſus in imas
Adveniet ſonitu nullo;
7 Naſcetur & una
Juſtitia, & Pax alma, & pleno Copia cornu,
Quae totum fauſtis hilarent ſucceſſibus orbem,
Dum praeceps Caelo det Luna refixa ruinam.
8 Qua primis Phoebus radiis Eoa colorat
Aequora, qua feſſus ſe gurgite mergit Ibero,
(c) Quaque gelu canet Tanais, Scythiciſque pruinis,
Solibus exuſti extrema ad confinia mundi,
Nullae Illi poſitae metae, vel tempora rerum;
9 Imperium ſine fine reget, genibuſque minores
Ante Illum Aethiopes procumbent, oraque terra
10 Demittent hoſtes pavidi, ac veſtigia lingent.
Tharſenſes venient extremo a littore Reges
Munera portantes; venient, circumflua ponti
11 Quos claudit, pelagoque procul ſtrepit unda refuſo;
Atque Arabum Reges, & dites thure Sabaei
Dona ferent; Terras late quicunque per omnes
Sceptra tenent, Olli generoſae inſignia frontis

(a) Hic ſpiritu aſſurgit ad Chriſtum.
(b) Judic. 6
(c) Vid. Bellar.

Regia ſubmittent, & quotquot ubique locorum
Sparſae habitant gentes Victoris jura ſubibunt.
11 Ipſe autem nexos, & dura compede vinctos,
Queis non auxilium, non ſpes erat ulla ſalutis,
Eximet injuſta domini ditione potentis.
13 Tunc inopi, ac miſero veniam, pacemque roganti
Annuet indulgens, ipſoque a limine lethi
Eductas hominum vitas ſervabit egentum.
14 Inſtitit exactor durus, foenuſque popoſcit,
Uſuraſque graves, & leges dixit iniquas
Pauperibus, miſeras animas pro foenore pactus;
Has redimet bonus, & laqueis exolvet avaris;
Et ſibi non viles magno dignatus honore,
Haud ſinet indignis ultra ſordeſcere probris.
15 Vivet, florebitque potens, Arabumque fodinis
Eductae mittentur opes, aurique metalla;
Tum poſitis paſſim templis, fumantibus aris
Sacraque, Divinique Ipſi indicentur honores,
Ejus & aeterno Nomen celebrabitur aevo.
16 Immenſae incipient per ditia ſurgere meſſes
Jugera, frumentis ipſi pingueſcere montes,
Inque jugis laetae ſe culmo attollere fruges,
Ut Libani aſſurgunt nemoroſo vertice cedri;
Urbs tota undabit populis, & civibus Urbis
Compita fervebunt, ac turba tecta frequenti,
Ceu foeni ſpiſſo pubeſcit gramine tellus.
17 Cuncta ſonet tanti Regis per ſaecula Nomen,
Omnia quod vincat durando ſaecula, donec
Ignifera Phaebus luſtrabit lampade terras.
Cunctae olim gentes paſſim Divina per Illum
Munera ſuſcipient, felices Numine tanto,
Cunctae immortale extollent Nomenque, decuſque.

18 Vivat jo Deus Iſacidum, Deus ille per aevum
Regnet jo, qui magna facit, mirandaque ſolus.
19 Divinum Nomen, Majeſtatemque verendam
Laudibus exornent, quotquot ſunt, ante fuere,
Quotquot erunt, ſeris olim volventibus annis,
Illius & totum majeſtas impleat orbem,
Omnis & auguſto reſonet de Nomine tellus:
Annue, ſumme Parens, & Numine vota ſecunda.

PSALMUS LXXII.

Quam bonus Iſrael Deus &c.

Hortatur, nequis errore ſe labi ſinat, ſi malos videat proſpera uti fortuna, bonos adverſa, cum exitus ſpectandus ſit in utriſque.

1 QUam noſter bonus eſt Deus
In rectos animi, & criminis integros?
2 Imprudens ego lubricis
Effuſus pedibus quam prope corrui,
Et veſtigia paſſibus
Nutarunt dubiis firma parum ſolo!
3 Indignatio me mala
Tranſverſo abripuit tramite devium,
Dum pravos hominum greges
Securos video longa per otia
Soles condere candidos.
4 Non mortem memores reſpiciunt ſuam,
Non vitae ſpatium breve;
Si ſors dura levi vulnere ſauciet,

Non his plaga diu ſedet;
Admoto propere ſed medicamine,
Totus diſcutitur dolor.
5 Non caſus hominum, fata nec aſpera,
Communeſque ferunt vices;
6 Hinc verſant tumidos pectore ſpiritus,
Elatique ſuperbia
Contemnunt reliquos, & nihili putant;
Hinc ſe ſordibus inquinant,
Et marcent vitiis omnibus obſiti.
7 Ex pinguedine plurima,
Qua diſtentus adeps diffluit, improbae
Tot ſordes ſcelerum ſcatent;
Fortunaque ſua dulciter ebrii
Multis luxuriant bonis,
Et ſe flagitiis omnibus obruunt;
Quae mox inſita pectori
Corrumpunt Animae nobilem originem,
Rectique indita ſemina,
Illoſque efficiunt diſſimiles ſibi,
Culpis & ſimiles ſuis.
8 Secum quaeque animo peſſima cogitant,
Quaeque & peſſima dictitant;
Nec tecti haec latebris, ſed loco ab edito,
Et luce in media canunt;
9 Quin audent ſuperis ora procacia
Inferre Arcibus, & Deum
Impura intrepidi voce laceſſere:
Cuiquam neſcia parcere
Terram omnem petulans lingua perambulat:
10 Advertens animum pius
Succenſet populus, nec ſibi temperat,

Illos aurea tempora
Cernens ad ſenium protrahere ultimum;
11 Et ſermo hic hominum fremit:
Spectat noſtra Deus? Cura ea ſcilicet,
Is vexat ſuperos labor.
12 En ut divitiis affluat omnibus
Gens deterrima moribus.
13 Fruſtra dixi & ego, mens mea nullius
Commiſſi eſt ſibi conſcia;
Et fruſtra innocuis coetibus additus
Abſterſi maculis manus;
14 Inter dura tamen totus abit dies,
Hora ut nulla vacet malis.
15 Quae mecum reputo, ſi temere eloqui
Imprudentibus audeam,
Damnem progeniem, Summe Pater tuam,
Et gentem Tibi deditam,
Quae nec fracta malis, commoda nec ſequens
Mores innocuos colit.
16 Haec inter dubito; pluraque noſcere
Conantem labor implicat.
Caligat tenebris obſita mens ſuis
Verum cernere neſcia,
17 Dum ſuccedam adytis, quae Deus incolit,
Vultuque irradiat ſuo.
Hic fata incipiam noſſe noviſſima,
Quae demum nocuos manent.
18 Quod nempe inſidias tendere callidi
Fraudes nexuerint bonis,
Idcirco inſidias Tu quoque comparas,
Queis capti pereant mali;
Caſu praecipites dejicis & gravi,

Dum

Dum ſe attollere geſtiunt.

19 Ut ſoli, utque inopes! Quae facies nova?
Quae rerum ſubitae vices?
Omnes deficiunt divitiae, ac decus,
Ipſi deficiunt ſimul:
Huc demum improbitas hos ſua perpulit,
Culpaque intereunt ſua:

20 Ceu, fingit cumulos cui ſopor aureos,
Inter ditia ſomnia
Exurgit vigilans, & vacua manu
Auras prenſat inutiles,
Sic, quando emeritos excipiet pios,
Rex Caeli, tua Civitas,
Quae rerum ſpecies, vanae & imagines
Mentes ludificant leves,
Ventos diffugient in volucres, ſuper
Uſquam nil erit impiis.

21 Sed flammis mihi cor quod melioribus
Nunc felicius ardeat,
Quam cum peſtiferas prava animo faces
Indignatio ſubderet;
Quod mutata mihi pectora ſentiam,
Nec ſim, qui fueram prius,
Quod mentis ſtolidus ſubſideat tumor
Nil ſe cernere conſciae,

22 Jumentumque humeris ceu ſubiens onus,
Totum me dederim Tibi;
Tecumque unanimis ſemper eam comes,
Omne id muneris eſt tui.

23 Prenſaſti timidam Tu mihi dexteram
Suſtentans dubios gradus,
Per virtutis iter dux meus, & comes

Me nutu moderans tuo;
Ornaſti eximia denique gloria
Exceptum patrio ſinu.
24 Quid pulchri in ſuperis eſt mihi ſedibus,
Quid tellure ſuper boni,
Te praeter? Quid ego abs Te volui, aut velim?
25 En deſiderio Tui
Artus deficiunt ſemianimes, caro
Vix ſe languida ſuſtinet;
Tabeſcenſque tua cor face liquitur,
Noſtrae o vita animae, Deus,
Aeternumque bonum ſaecla per omnia.
26 Quicunque a Te abeunt procul,
Illos interitus perpetuo manet;
Nam Tu cladibus obruis
Omnes, pollicitam qui violant fidem.
27 At me haerere Deo juvat,
Et ſperare pium, ſalvus ut inclyta
28 Ejus facta canam, frequens
Ad portas Solymae qua populus coit.

PSALMUS LXXIII.

Ut quid Deus repuliſti &c.

Praevidens mala, quae Judaei paſſuri erant vel a Nabuchodonoſor, vel a Tito, & Veſpaſiano, vel potius, ac verius ab Antiocho Illuſtri, ea hic deplorat, Deique implorat auxilium.

1 QUid tantum, Pater alme, furis? Semperne repelles,
Inque tuum ſemper ſaeviet ira gregem?
2 Eſto memor populi Te ſub ductore coacti,
Ultima quem generis fecit origo tuum.
Ille Tibi pretio eſt emptus; Tu proprius haeres,
Atque haec eſt juris portio terra tui.
Hic Tu ſceptra tenes; Tuus eſt mons ipſe Sionis,
Hae Tibi ſunt ſedes, haec Tibi certa domus.
3 Quid tantum tumuere hoſtes? Jam brachia tolle,
Elata & valida cornua frange manu.
Quae ſcelera, & clades, quae foeda, ac dira dedere,
Numini ubi ſurgunt limina ſacra tuo!
4 Qui Te, araſque tuas odere, immane furentes
Inter ſolemnes (a) infremuere choros.
Quaeque ſolent portis urbis victricia ſigna
5 Affigi; ſummo conſpicienda loco,
Turribus affixere ſacris, monumenta triumphi,
Nec templi ratio eſt ulla, nec nulla Dei.
6 Ex-

(a) Ita S. Hier.

6 Excindunt poſtes, & ferro clauſtra refringunt,
Caedua ut adducta ſylva bipenne cadit.
Omnia dejiciunt: ſonat hic impacta ſecuris,
Hic geminans ictus aſcia ligna dolat.
7 Injiciunt templo flammas, adytumque verendum
Per ſcelus inceſtant, ſparſaque ſacra ſolo.
8 Convenere omnes ſcelerum ſibi foedere juncti,
Atque animo haec ſecum conſtituere ſuo:
Numinis ignoti ſolemnia feſta quieſcant,
Nullus & in toto ſit ſacer orbe dies.
9 Quod nunc perfugium, quae nunc fiducia nobis?
Signa negat praeſens, quae dabat ante, Deus.
Nullus adeſt, fundat qui ſacra oracula, Vates;
Nos jam gens Caelo non bene nota ſumus.
10 Quem, Deus, ad finem inſultans ſeſe efferet hoſtis?
En furit atque iras aſperat ille tuas.
11 Quid laevam cohibes? Dextram quin exeris ultor?
Quidve foves medio lentus utranque ſinu?
12 Verum age, Rex noſter, Deus omni antiquior aevo
Signa patrocinii non dubitanda dedit.
13 Terrarum in medio, ſpectantibus undique circum
Gentibus, eſt illo nata ferente ſalus.
Tu mare diducto ſolidaſti, Maxime, fluctu,
Quo ſerpentigenum merſa natant capita;
14 Per Te audax Phario frons eſt effracta Draconi,
Aethiopum & jacuit praeda relicta feris;
15 Per Te rupta ſilex ſcatuit torrentibus undis,
Fluminaque in ſicco (a) magna dedere viam:
16 Per Te aurora ſuos, per Te ſol extulit ignes,
Pendet ab arbitrio noxque, dieſque tuo.
17 Tu terrae extendis fines, Tu purpureum ver
Pingis, & aeſtivo ſydere ſindis agros.

(a) Ethan ſignif. fortem, ſeu magnum, ſc. Jordan.

18 Hoc alta maneat Tibi mente, quod exprobrat hoſtis,
In Nomen demens invehiturque tuum.
19 Ne, quaeſo, ne trade feris Te rite colentes,
Neve relinque inopes immemor uſque animas.
20 Foedera cum noſtris antiqua parentibus icta,
Reſpice, & aſtrictam non ſemel ante fidem.
Obſcurum genus, & terrae gens filia noſtras
Per ſcelus invaſit facta opulenta domos.
21 Pauper inops voto ne a Te diſcedat inani;
Nominis in laudes ibit & ipſe tui.
22 Surge, Deus; Tua cauſa monet; Jam ſuſcipe cauſam
Ipſe tuam, jam jus ipſe tuere tuum.
Volve animo tua probra memor, tua probra refelle,
Quae totos recinit gens maleſana dies.
23 Sacrilegas hominum nunquam obliviſcere voces;
Aeterno in Te odio corda ſuperba tument.

PSALMUS LXXIV.

Confitebimur tibi Deus &c.

1 *Admonet homines, ut juſte vivant, & ſuperbiam deponant, quod judicium Dei ſeveriſſimum immineat.*

DIALOGUS.

INTERLOCUTORES.

Populus juſtus, Deus, Propheta.

2 *Pop. juſ.* Dicemus meritis Te, Bone, laudibus,
Te, Nomenque tuum voce vocabimus,
3 Et narrabimus alto,
Quae miranda facis, ſono.

Deus. Opportuna mihi lux ubi venerit,
Judex in ſolio tetricus aureo
Aequa lance librabo
Quicquid nunc homines agunt.
4 *Pop. juſ.* Aſpectum omne ſolum ſolvitur ad tuum,
Tabeſcunt homines, quotquot alit ſolum.
Deus. Sed virtute columnae
Stant nixae penitus mea.
5 *Proph.* Factis, dixi, igitur parcite noxiis,
Neu faſtu tumida extollite cornua,
6 Offenſuraque Numen
Verba audacia mittite.
7 Nam nulla effugii ex occiduis plagis,
Eoiſve aperit ſe via, montium
Deſertove receſſu;
Judex cuncta replet Deus.
8 Hunc affligit humi, illum altius evehit,
Iraque tenet pocula dextera
Vino plena meraco,
Tetris miſta liquoribus.
9 Jamque huc, jamque alio invergit, & impios
Epotare luem lethiferam jubet:
Faex teterrima reſtat;
Omnes inde bibent mali.
10 Ereptus mediis aſt ego cladibus
Venturis referam nuntia ſaeculis,
Jacobique Patris Deo
Fundam perpetuum melos!
11 *Deus.* Caelo erecta hominum vana furentium,
Jactantumque minas frangam Ego cornua:
Dignis Juſtus ad aſtra
Extolletur honoribus.

PSAL-

PSALMUS LXXV.

Notus in Judaea Deus &c.

1 *Dei potentiam celebrat ob infractos Judaeae hoſtes, ac fortaſſe ob praeviſam Sennacheribi caedem tempore Ezechiae factam, ſed altiore, ac veriore ſenſu ob victoriam Chriſtianorum, ac praeſertim Electorum de adverſariis reportatam.*

2 CAelo imperantem, ac terrigenis Deum
Judaea novit; Nominis inclyti
Praeconia haud vulgata paſſim
Iſacidae celebrant frequentes.
3 Sibi Ille certam conſtituit domum
Pacatae in Urbis moenibus; & ſacro
In vertice excelſi Sionis,
Quas coleret, ſibi legit arces.
4 Illinc & arcus perculit hoſtium,
Nervis vibrantes tela valentibus,
Et ſcuta, & enſes, & paratas
Bella manu renovare turmas.
5 Tu mira terras ſpargis in infimas
E ſempiternis lumina Montibus:
Amente bacchantum furore
Corda pavor tremefacta turbat.
6 Vir aggeratis divitiis potens,
Somno ſepultus ſtertuit ut gravi,
Mox excitatus nil prehendit,
Sed vacuas modo captat auras.

7 Vix increpantem Te, Deus, audiit,
Cum merſus umbris triſtibus occubat,
Qui nuper exultans, & acri
Vectus equo furibundus ibat.
8 Te Terror anteit, Te ſequitur Metus:
Quis aequa Tecum praelia conſerat?
Succenſus ira cum rebelles
Exagitas, nihil eſt ſalutis.
9 Horrente Caelo, judicium minax
Indicis orbi; Terra tremoribus
Concuſſa magnis, mox timendo
Conticuit ſtupefacta viſu,
10 Cum jam paratus judicio Deus
E ſede vindex ſurgeret aurea,
Ut damna perpeſſos iniqua
Eriperet manibus nocentum.
11 Hinc pro ſalutis munere debitas
Soſpes rependet gens Tibi gratias,
Laeto & triumpho Te per omne
Cura memor celebrabit aevum.
12 Vovete, veſtro & reddite Numini
Concepta verbis vota fidelibus,
Qui rite circum provoluti
Muneribus cumulatis aras.
13 Placate votis terribilem Deum,
Summos potentem ſternere principes,
Delere reges, & ſevero
Regna ſupercilio movere.

PSALMUS LXXVI.

Voce mea ad Dominum &c.

1 *Exemplo ſuo docet publicas, & privatas ferre calamitates, occaſione fortaſſe capta, vel a captivitate Babylonica, vel ab Antiochi perſecutione, vel ab alia quapiam Judaeorum calamitate, vel ab humana miſeria generatim, cujus per Chriſtum reparationem praedicit.*

2 REgem Deorum voce clamavi mea,
Deum vocavi; aures vocatus praebuit.
3 Duro malorum dum gravarer pondere,
Deum requirens, nocte multa ſupplices
Caelo tetendi cum prece effuſa manus,
Nec me fefellit irrita expectatio.
4 Quare omne refugit aegra mens ſolatium,
Deumque ſolum cogitare me juvat,
Qua cogitatione ſola recreor.
Haec dum revolvo, mecum & ipſe deputo,
Magna liqueſcit ſpiritus dulcedine.
5 Nondum excubaret prima cum cuſtodia,
Diſcuſſi ab oculis pervigil ſomnum meis:
Tam multa vitae cogitans diſcrimina,
Turbatus alto conſtiti ſilentio.
6 Hic anteactos mente percurri dies,
Et priſca ſaecula ultima ex origine
Tuis referta ſemper auxiliis meo

Animo revolvi, luctuum ſolatia.
7 Per inquietae longa noctis ocia
Cum fluctuante multa corde diſſerens,
Aegrumque verſans hinc & inde ſpiritum,
Mecum loquebar :
8 Itane tam bonus Deus
Abjiciat omne nos per aevum, ac negligat?
Nunquamne vultu mitiore arrideat?
9 Suamne ſemper ſubtrahat Clementiam
Nobiſque, filiiſque, tum nepotibus?
10 Aegroſne ſublevare dediſcet Deus,
Iraque victus uſitatae flumina
Pietatis alto continebit objice?
11 Afflatus aura ſed superni luminis
Dixi: recepto nunc revixi ſpiritu,
Quando innovatus incipit vitae tenor;
Meliore cudit nunc metallo tempora,
Viceſque mutat Regis excelſi manus.
12 Haeſere noſtro fixa ſemper pectori,
Quae magna ſummus opera patravit Deus;
Semperque primo repetam ab uſque exordio,
13 Quae Tu edidiſti, mira, rerum Conditor;
Tuaeque facta quaelibet potentiae,
Diaeque mecum mentis inventa exigam.
14 Tuae inſtituta cuncta providentiae
Directa ſunt ad ſanctitatis regulam.
Tantam quis unquam aequare magnitudinem,
Aut ſe Deo conferre quis noſtro poteſt?
Tu magna ſolus, mira Tu ſolus facis.
15 Perſpecta cunctis gentibus virtus tua,
Interminatae & ſumma vis potentiae,
16 Qua dura longae ſervitutis vincula
Cervice populi depuliſti de tui Ja-

Jacobo, Joſephoque ducentis genus.
17 Videre Te marini ab alto gurgites,
Videre fluctus hinc, & inde penduli,
Tuique majeſtate vultus territi
Cepere rapidam vortices proni fugam;
Et pontus alto motus intremuit ſinu;
18 Ingenti aquarum mox ſonore refluum
Conſueta rurſus aequor opplevit loca
Late redundans; inde ruptis nubibus
Vis magna aquarum cum fragore maximo
Ruens, ſupernis miſcet infernas aquas;
19 Strident per auras igne torto fulmina,
Caelum per omne mugiunt tonitrua,
Fractoſque currus obruunt, ſparſas rotas;
Nimbos coruſcant inter atros fulgura,
Tellus tremit quaſſata magnis motibus,
Nutatque, fundamenta & ima concutit.
20 Via eſt profundo tunc aperta in aequore,
Lataeque patuerunt per undas ſemitae,
Te tranſeunte; nec, reductis fluctibus,
Pedum tuorum permanent veſtigia
Ulli legenda, ſed nec ulli cognita.
21 Moſes, & Aron praefuere, Te tuas
Ducente turmas, & docente ſemitas,
Vigil ſequentem paſtor ut ducit gregem.

PSALMUS LXXVII.

Attendite popule meus &c.

Dei in populum Judaicum beneficia, ejuſque ingratum ſemper animum a Moïſis ad ſua uſque tempora commemorat, & Chriſti regnum adumbrat.

1 LEgibus attentam noſtris advertite mentem,
Gens mea, & his pronas intendite vocibus aures:
2 Certa per implexas ambages ora reſolvam
Obſcuris vera involvens; ab origine rerum
Coecis retruſa in tenebris, & nocte profunda
Obruta fatidicus Vates oracula pandam;
3 Quaeque vetus noſtras perduxit rumor ad aures
Facta, canam, multos ad nos delata per annos,
Quae priſci nobis enarravere parentes,
4 Nec poſt ſe genitos, prognatoſque inde nepotes
Sunt paſſi ignorare, Dei memoranda docentes
Geſtaque, virtuteſque, & dignas carmine laudes,
Quaeque ſuae oſtendit toties miracula genti.
5 Principio proprium ſibi foedere junxit Jacob,
Iſacidis & jura ſuos teſtantia ſenſus
Conſtituit, tabulis, & ſaxo inſcripta fideli.
6 Quanta dehinc noſtris mandavit patribus, illi
Ex ſe progenitis ut pernoſcenda renarrent,
Et ſtirpe ex una ſtirps deinceps altera diſcat,
Inde alii ex aliis nati, & qui deinde ſubibunt!
7 Scilicet in ſolo quo ſpem ſibi Numine ponant,
Tan-

Tantorum, & memores operum Divina laborent
Juſſa avidis haurire animis, curaque fideli.
8 Improba majorum ne forte exempla ſecuti
Per tranſverſa ruant, & juſti Vindicis iras
Extimulent. Gens illa quidem perverſa, procaxque,
Inſincera fuit cui mens, & neſcia recti,
Atque ipſi malefida Deo.
9 Florentis Ephremi (a)
Heu genus infidum, magna ac praeclara profeſſum
Nec dictis ſtetit, & partes nutavit in omnes,
Mutavitque fidem, qua ſeſe obſtrinxerat ante;
Qualis in arma cohors primo ruit impete belli,
Jam ſinuat validis contentum viribus arcum,
Jam tela intendit, jam ſignat vulneris ictum;
Mox ubi pugnandi tollit cava buccina ſignum,
Fervet Martis opus, miſcent fera praelia turmae,
Illa fugam celerat, tergumque obvertit in hoſtem;
10 Magnifica haud aliter frangit promiſſa, Deique
Perfida gens ſanctas audet contemnere leges;
11 Nec benefacta memor reputat, nec munera tanta,
Tanta nec oſtentata ſibi, tam miraque ſigna.
12 At Deus ante ipſos oculos, atque ora parentum
Mira Canopaeis, atque ante incognita terris
Edidit, immenſos Tanais qua proſpicit agros;
13 Aequoreas perrupit aquas, fluctuſque reductos
Continuit, veluti concluſas utribus undas,
Et ſicci incolumes duxit per aperta profundi;
14 Perque diem piceam juſſit praecedere nubem,
Et praelucentes noctu praecurrere flammas.
15 Ingrederentur iter cum per deſerta viarum,
Vexaretque ſitis feſſos, e rupe liquentes

(a) i. e. Prop. Heb. quia tribus Ephraim erat numeroſiſſima.

Elicuit latices; veluti tellure profunda
16 Cum lacus erumpit, ſic Ille e pumice vivo
Torrentes eduxit aquas, largeque fluentes,
Flumina ceu rapidis campos ſtringentia lymphis;
17 Et tamen infeſtis iterum convicia linguis
Fuderunt, juſtaſque Deum compellere in iras
Sunt auſi, latices iterum cum terra negaret,
18 Rurſus & inſanos agitarunt mente furores,
Tentaruntque Deum votis audacibus, eſcas
Cum peterent, cupidi delinimenta palati;
19 Atque oblatrantes: Nunquid, dixere, poteſtas
Tanta Deo? Nunquid per inhoſpita, & aſpe-
ra ſaxa
Et ſteriles glebas potis eſt apponere menſas,
20 Optataſque parare dapes? ſi rupibus undas
Traxit, & e ſicco percuſſi viſcere ſaxi
Manavit juſſus liquor, atque undantia ripis
Flumina, num poterit nobis & adorea liba
Inſtruere, atque ſuos menſis explere paratis?
21 Audiit indignans, averſatuſque rebelles
Reppulit abs ſeſe Dominus; Tunc ignis Jacob
Improviſo arſit caſtris, populumque procacem
Magna ex parte Dei deſcendens Ira voravit,
22 Quod dictis adhibere fidem, ac Divina negarent
Promiſſa audire, ac Caelo ſperare ſalutem;
23 Et tamen inſuetum juſſit de nubibus imbrem
Depluere, aſtriferi reſeravit & oſtia mundi,
24 Ambroſiaſque dapes, miſſaſque ex aethere fruges
Veſcendas dedit,
25 Et pretioſa cibaria Divum
Mandere mortali licuit, largeque profuſas
Delicias, quantum ferret cujuſque libido.
Nec ſatis; ingratae mulcens faſtidia gentis

Luxuriemque gulae ſatiari carne rogantis,
26 Diſpulit Eois flantem de partibus Eurum,
Africus & Libycis praecepit ut excitus oris
27 Vaſta (a) coturnicum ſparſam trans aequora nubem
Cogeret, Arabiaeque adverteret agmine tanto,
Quam multus vento glomeratur in aere pulvis,
Aut maris in ſicco denſatur littore arena.
28 In media affuſae liquidum per inane volucres
Caſtra pluunt, motis circa tentoria pennis.
29 In praedam vulgus ruit omne, epuliſque paratis
Eſt exempta fames, & amor compreſſus edendi;
30 Expletuſque furor, ventriſque inſana libido.
Sed dum jam voto potitur; cupidoque petitas
Ore vorat carnes; haerent dum dentibus eſcae;
31 Ecce ſuperveniens deſcendit turbine magno
Ira Dei, populumque avidum ſimul occupat, illos
Praecipue, quibus uncta nitet caro pinguior; atro
Implicita eſt morbo Jacobi lecta juventus.
Talibus affecti poenis commiſſa luerunt,
32 Auctorem tantorum operum quod credere Caeli
Noluerint Regem; Hinc illis properata repente
Mors ſuper incubuit, volucri velocius umbra
33 Vitae praeteriere dies, annique citato
Impete, nec quicquam valuit fatale morari
Exitium.
34 Cum ſaeviret Deus ultor, & aequas
Expeteret poenas, averſum flectere Numen
Supplicibus tentant votis, veniamque precari;
35 Continuo ante aras veniunt, animoque recurſat
Nota Dei pietas, miſeris hanc ſaepe fuiſſe
Auxilio, hanc arcem, portumque patere malorum.

(a) Numer. c. 11.

36 Sed licet ore pio teſtentur mitis amorem
Numinis, ipſi etiam vanae mendacia linguae
Obtrudunt, ipſi certant illudere Caelo.
37 Non animo ſyncera fides, non cura colendi
Rite Dei, & leges, jurataque pacta tuendi.
38 Ipſe autem, ut pius eſt, populi miſeratus iniqui
Crimina, non parva poenas ex parte remiſit,
Nec vel ſic meritos radicitus extirpavit;
Quin etiam magna victus pietate, furorem
Avertit, froenoque graves compeſcuit iras;
39 Namque animo ſubiit, fragili quam condita limo
Membra gerant, vitamque levem, quae tempora velox
Omnia tranſmittit, nunquam ad decurſa revertens.
40 Oh quoties juſtas acuerunt Vindicis iras
Deſerta regione viae, ſtimuloſque furori
Admorunt obtrectantes ſitientibus arvis,
41 Et pactam fregere fidem, quantum Ille valeret
Tentantes, ſanctumque auſi contemnere Numen!
42 Scilicet immemores Dextrae omnipotentis, & acti
Temporis, infeſtum procul a cervice tyrannum
Cum repulit, ſervoque exemit vincula collo;
43 Perque Pharaetonias rerum miracula terras
Edidit, & latis in magnae Taneos agris,
44 Flumina tinxerunt atro cum ſanguine ripas,
Et rigui paſſim manarunt ſanguine fontes,
Et cupida infectas ſitis exhorreſceret undas;
45 Praeterea infeſtas ingenti examine muſcas
Immiſi, gracili laedentes corpora dente,
Ranaſque in mediis ſalientes undique tectis,
Quae laribus pulſos vacuos egere per agros;
46 Erucae (n) plantas lapſu repſere per altas,

(n) Juxta verſ. S. Hieron.

Et pubeſcentes carpſerunt arbore fructus;
Terra proruptae ſaliere per arva locuſtae
Paſſim vaſtantes ſata laeta, boumque labores;
47 Horridus e Caelo lapidoſa grandine nimbus
Decidit, & ſpiſſo contrivit verbere vites,
Decoxitque gelu moros, canaeque pruinae;
48 Quin etiam tanto crepitans ruit agmine grando
Fulguribus commiſta, ſimul percuſſa perirent
Ut jumenta, voraxque agros incenderet ignis.
49 Sic poenas repetens irae laxavit habenas
Ipſe ſuae, multaque explevit caede furorem;
Tum furiae ultrices imo ex Acheronte vocatae,
Verbere & armatae dextras, tortoque flagello
Sparſerunt clades, ac ſemina dira malorum.
50 Ira diu infrendens, duriſque coercita vinclis
Subſtitit, obnitens fruſtra; tandem, objice rupto,
Ipſa viam late ſibi fecit, & impete magno,
Qua data porta, ruit, nec caedi, odioque pepercit,
Quin vitas hominum pariter, pecudumque cruento
Demeteret ferro, caſuque involveret uno.
51 Aegypto in tota quae prima parentis ab alvo
Prodierat proles, praematuruſque laborum
Fructus, quem Chamiae ſtirpis foeta arva crearant,
Occidit, & luctu populos turbavit acerbo.
52 Tunc qualis clauſo pecudes educit ovili
Opilio, populum Phariis miſeratus ab oris
Ipſe ſuum Deus eduxit, deſertaque lectum
53 Traxit in arva gregem, trepidoque, & cuncta paventi
Spemque, animoſque dedit; nullus timor urget
euntem,
Poſtquam ſubmerſi perierunt fluctibus hoſtes.
54 Mox ad felices oras, monteſque ſacratos,

Devotoſque ſibi tot feſſum errore viarum
Adduxit, montes, victo quos hoſte recepit,
Ipſe ſua ante acies committens praelia dextra;
Ipſe feras pepulit gentes, deſertaque tecta,
Et vacuos ſortitus agros, ſua cuique colenda
Arva dedit, ducto partitus jugera fune;
55 Et quibus ejecti ceſſerunt ſedibus hoſtes,
Attribuit tecta Iſaciis habitanda colonis.
56 En iterum in ſolitos erumpit turba furores,
En iterum tentatque Deum, dictiſque laceſſit,
Nec ſacras curat leges, nec foedera ſervat,
57 Seque alio avertit, pactiſque manere recuſat.
Uſque adeo pravos ſoboles imitata parentes,
Nil aliud, niſi prava ſapit, niſi prava profatur,
Ceu male diſtortis vitioſus cornibus arcus,
Quo miſſae nunquam ſignum tetigere ſagittae.
58 Quin etiam colles auſa eſt celebrare profana
Relligione ſacros, rituſque oblita vetuſtos,
Aemula ſacrilegas ſimulacra locare per aras,
Nil verita aeterni ſuccendere Vindicis iras.
59 Audiit haec Deus, & populum contempſit inertem,
Et tumidum elati fregit caput Iſraelis.
60 Tum ſedem, ſoliumque ſuum, quod fixerat alta
Ipſe Silo, e cunctis ſibi lecta ſacraria terris,
Quae coleret mediis miſtus mortalibus, ultro
Reppulit indignans:
Quicquid virtutis in illo,
61 Quicquid erat decoris populo, victoribus omne
Permiſit, praedamque rapaci tradidit hoſti.
62 Objecit gladiis gentem, quam jure tenebat
Praecipuo, nihil hanc, nihil & ſua regna moratus.
63 Hoſtili periit flamma conſumpta juventus,
Atque

Atque immatura praereptae morte puellae,
Seu prius extincto protractae in vincula ſponſo
Non habuere, piis lacrymis qui fata levaret;
64 Nulla Sacerdotes pietas, non infula texit,
Quo minus imbuerent ſceleratum ſanguine ferrum;
Et viduae raptis infanda clade maritis,
Collacrymant ſolae, ſua quiſque ob funera luget.
65 At tandem, lento ceu victus lumina ſomno
Lumina jam cyathis, & largo marcida vino
Vir validus membris, & vaſtae robore molis,
Excutitur Deus, & caſus reſpectat acerbos.
66 Inde genus morbi poſtica in parte (a) pudendum
Hoſtibus immiſit, poenaeque opprobria juſſit
Perpetuo e fulvo pendere expreſſa metallo.
67 Verum & Joſephi ſtirpem non aequus, ut ante,
Fovit, & ex illa tentoria ſede refixit,
Fortis Ephraimi nec dictam nomine gentem
Aſſumpſit, regni cui demandaret habenas;
68 Sed Judae genus aſcivit, montemque Sionis
Jucundum ſibi prae reliquis:
69 Ibi nobile templum
Templum auguſtum, ingens, feriens & culmine nubes,
Rhinocerotis uti ſurgit de vertice cornu,
Extruxit Solyma in magna, quam condidit Urbem
Omnia fatali manſuram in ſaecula lege.
70 Tum ſibi Davidem legit, dum paſtor apertis
Ducit oves ſtabulis, ſequiturque ad paſcua foetas,
71 Paſceret ut cretam Jacobi ſanguine gentem,
Et populum regeret proprio ſibi jure dicatum.
72 Ipſe autem ſimplex animo, rectuſque ſequentem
Pavit, & infeſtae per cuncta pericula vitae
Conſilioque, manuque gregem bene providus egit.

(a) 1. Reg. 5.

PSALMUS LXXVIII.

Deus venerunt gentes &c.

Deplorat Hebraeorum calamitates ſub Antiocho, & caeteris Regibus tempore Machabaeorum, & Eccleſiae ſub Imperatoribus Ethnicis.

1 IN tua jura, Deus, gentes venere profanae,
Templaque ſacrilega ſunt temerata manu;
Illaque divitiis Urbs quondam foeta, viriſque
Jam nulla antiqui ſigna decoris habet;
Sed lapidum eſt cumulus, tugurique ignobile culmen,
Maceria aut hortis addita pomiferis.
2 Gens ſacris addicta tuis, inhumata per agros
Corpora, praeda feris, alitibuſque jacent.
3 It cruor, & Solymae, ceu flumine, moenia lambit,
Nec, tumulo exanimes qui tegat, ullus adeſt.
4 In nos finitimae fundunt convincia gentes,
Fabula vicinis, ludibriumque ſumus.
5 Quem, Deus, ad finem tua ſaeviat ira, tuuſque
Ardeat, ut vento concita flamma, furor?
6 Sunt gentes quae Te ignorant, tua jura recuſant;
Effunde hic irae froena ſoluta tuae.
Sunt & regna tuum nunquam implorantia Nomen;
Huc vindicta ſuo pondere tota ruat.
7 Nunc ſata Jacobo ſtirps ore abſumpta voraci eſt,
Et vacuus ſqualet, quo ſtetit ante, locus.
8 Ne vetera infenſum Te noſtra piacula reddant,
Ex animo pietas deleat illa tuo.

Ultima praeveniat jam jam properantia fata;
Heu premimur, nimis obruimurque malis.
9 Affer opem, Deus, una ſalus; Sic gloria vivat
Non peritura tui Nominis; affer opem.
Per Nomen quaeſo, quo non praeſtantius ullum,
Placatus noſtris ſis face criminibus;
10 Ne forte in noſtro laetatae funere gentes:
Illorum, poſſint dicere, Numen ubi eſt?
Neve ea barbaricas didatur fama per urbes,
Et videant tantum lumina noſtra malum.
11 Te petit ultorem caedes miſeranda tuorum,
Quique fluit ſparſus foeda per arva cruor;
Et dolor, & gemitus cervice indigna trahentum
Vincula conſpectum perſtrepat ante tuum.
Relliquias ſerva, & caeſorum pignora patrum,
Namque potes; quid non dextera magna valet?
12 Vicino ſeptemgeminas ex hoſte repoſce
Poenas, inque ſinum damna redire jube.
Quaeque in Te ſtulta fudere opprobria lingua,
In meritum recidant fac modo verſa caput.
13 Nos tuus at populus, Tibi gens devota, tuus grex
Dicemus laudes tempus in omne tuas;
Dumque aliis alii ſuccedent ordine nati,
Dicet ubique tuum nuncia Fama decus.

PSAL-

PSALMUS LXXIX.

Qui regis Iſrael &c.

1 *Praedicitur captivitas primum ſub rege Aſſyriorum Salmanaſar, deinde ſub Nabucodonoſor, & liberatio Hebraeorum, quae figurae fuerunt captivitatis noſtrae, & liberationis per Chriſtum.*

2 QUi fidum regis Iſrael,
Hos pronis gemitus auribus excipe;
Qui Joſeph genitos agis,
Ut ſolers tenerum paſtor agit gregem;
3 Qui ſubnixa nitentibus
Alis terga ſuper Caelituum ſedes,
Prodi obtutibus Eprahim,
Prodi Beniamidis conſpicuus tuis,
Manaſſiſque nepotibus,
Sublimiſque tua ſurge potentia,
Huc ſpectandus & adveni,
Ut nos e miſeris caſibus eximas.
4 Nos poſtliminio domos (a)
Ad noſtras revoca, moribus ad bonam
Frugem compoſitis: Age,
Moerentes placido reſpice lumine,
Vultum detege amabilem;
Vivemuſque tuo munere ſoſpites.
5 Bellorum Deus Arbiter,
Quid tantum famuli ſupplicibus tui

(a) Juxta duplic. explicationem.

Indignabere vocibus?
6 Quid potus lacrymae, quid lacrymae cibus?
Quid nullus lacrimis modus (a)?
7 Bellum finitimis perpetuum ſumus,
Noſtris ludus & hoſtibus.
8 Nunc verſis animis in melius, Deus,
Magne exercituum Deus,
Nos longe poſitis finibus exules
In dulcem patriam reduce.
Optatam faciem pande, precor, tuam,
Nobis unde aderit ſalus.
9 Translatam Phariis e regionibus
Plantaſti Tibi Vineam,
Vellenſque indigenum ſemina gentium,
Seviſti ſolo in ubere.
10 Cuſtos perpetuus, cultor eras vigil,
Tu Dux, Tuque comes tuis.
Depacti penitus malleoli infimas
Fixerunt ſcrobibus fibras,
Laetis omne ſolum vitibus horruit:
Summorum juga montium
11 Texit pampineis umbra cadens comis;
In faſtigia palmites
Vicere aerias verticibus cedros;
Pubens vinea brachia
12 Extendit pelagi litus ad ultimum (b),
Et propagine pertigit,
Euphrates tumido qua fluit alveo.
13 Quid nunc funditus eruta
A Te maceries ſparſa jacet ſolo?

Et

(a) In menſura magna Hebr. Tripliciter Hier. & Chald.
(b) Deuter. 11.

Et quotquot viam obambulant;
Hanc uvis viduant ſuave rubentibus (a)?
14 Rictu vaſtat & horrido
E ſylvae latebris progrediens aper,
Laetis paſtaque vitibus
Saevit fulmineis trux fera dentibus?
15 Rex exercituum Deus,
De Caelo huc placido reſpice lumine,
Hanc circumſpice Vineam:
16 Quaeque a Te propria eſt conſita dextera,
Cultu hanc perfice ſedulo;
Cuſtodemque (b) adeo reſpice Vineae,
Humani generis Virum,
Auctum divitiis, robore praeditum,
Charum praecipue Tibi.
17 Hanc flammae populant ſtirpitus erutam
Squallentem illuvie, ac ſitu;
Praedones oculis torva tuentibus
Cum Tu terrueris ſemel,
Ceu tacti trifidis fulminis ignibus,
Demerſi exitio cadent.
18 Tantum Illum placido protege Numine
Inter nos genitum Virum,
Vim, roburque tuae non leve dexterae,
Dilectum penitus Tibi,
Quem tu multiplici munere divitem,
Feciſti Tibi proprium,
19 Adjuncti lateri nos comites tuo
Nulla dividimur vice.
In Te noſtra ſalus, vitaque; Nos tuum
No-

(a) Philiſtaeos, Aſſyrios, & praecipue Nabuchodonoſor Regem intellige.
(b) i. e. Chriſtum Eccleſiae cuſtodem.

Nomen ſaepe vocabimus.
20 Nos ergo Aſſyriis e regionibus,
Virtutum Deus, abſtrahe:
Da Te conſpicuum; noſtra aderit ſalus.

PSALMUS LXXX.

Exultate Deo adjutori &c.

1 *Adhortatur populum ad feſtos dies rite celebrandos, ac praeſertim Neomeniam menſis Septembris, quae erat omnium celeberrima, dicebaturque feſtum tubarum, tum beneficia commemorat, ob quae celebrantur, ejuſque negligentiam, & infidelitatem reprehendit.*

2 INſtaurate Deo publica gaudia,
Cuſtodi Iſacidum plaudite Numini:
3 Eja aptum modulis promite canticum,
Pulſandum eja mihi cedite tympanum,
Nervoſque, & citharam tangite tinnulam;
4 Feſta menſe novo clangite buccina,
Vobis tam celebri, tamque ſacro die.
5 Hoc nempe Iſacidis relligio jubet,
Hanc legem Iſacidis ipſe tulit Deus;
6 Joſephi ſobolem juſſit id exequi,
Cum primum Pharias deſeruit plagas,
Ignotaeque ſonum vocis ab ardui (a)
Sinae verticibus deſuper audiit.
7 Illius gravibus terga laboribus

(a) Ita Auguſt. Hier. Theod. Euthym.

Subduxit miſerans Caelicolum Pater,
Cum ſub ponderibus feſſa fatiſcerent,
Et plenis gemerent brachia corbibus,
Nunc coctos lateres, nunc madidum lutum
Sub duri imperio ſubveherent heri.
8 Antiquos memora, te Deus arguit,
Gens ingrata, dies. Rebus in aſperis
Clamaſti, & gemitus ſupplicis audii;
Adduxi piceis nubibus abditus
Nimbis foetam hyemem, quae ſimul obrutos
Currus, aque equites im mare volveret:
Tentatura tuam (ſic placuit) fidem
Te defecit aqua: hic jurgia perſtrepunt,
Commotis populi ſeditionibus,
Ut rupe exiliens hinc aqua traxerit
Nomen.
9 Nunc animos arrige, gens mea;
Quod ſit conſilium, quae mihi mens, tibi
Teſtatum eſſe volo, neſcia ne ſies:
10 Si noſtris docilem vocibus, Iſrael,
Te ultro praebueris, nullus erit recens,
Externuſque Deus, cui facias ſacra,
Gentes Numinibus quae faciunt ſuis.
11 Unus ſum Dominus, ſumque Deus tuus,
Qui te Niliacis ex regionibus
Eduxi, miſeroque eripui jugo:
Jam ſi quid cupias amplius, expete,
Neu deſideriis ſit pudor, aut modus,
Omnis te faciam voti Ego compotem.
12 Aures his refugas vocibus improbus
Avertit populus, non animum Iſrael
Intendit monitis recta jubentibus;

Qua-

13 Quare hunc arbitriis deſerui ſuis,
Ut vitae teneat, quam libeat, viam.
14 Si dicto hic populus mî foret audiens,
Gens Judaea vias ſi tereret meas,
15 Vires ex facili contererem hoſtium
Fortaſſe, iiſque meàs injicerem manus,
Quicunque exagitant Iſacidum genus.
16 Verum gens toties pacta Deo fidem
Hoſtiles animos induit, & ſuis
Mendax pollicitis haud ſtetit: Ultio
Illam certa manet ſaecla per omnia.
17 Has poenas repetunt tot data munera
Ingratis, ſimila quos Deus optima,
Pavitque eximia fruge, feracibus
Lecta jugeribus, mellaque ab aſperis
Saxis elicuit ſponte fluentia,
Explendae faciles delicias fami.

PSALMUS LXXXI.

Deus ſtetit in Synagoga &c.

Hortatur Judices, ut juſte judicent.

1 QUaſi in Deorum concilio, ſedens
Subſellia inter publica Judicum,
In judices exercet ipſos
Arbitria intemerata Numen.
2 Quouſque lites pondere non ſuo
Libratis? inquit; Quidve nocentium

Superba reſpectatis ora,
Donaque, deteriore cauſa?
3 Pupillus ad vos ſi veniat, ſuum
Jus conſequatur; Pauper, & infima
De ſtirpe prognatus probatam
Obtineat ſine fraude cauſam.
4 Vinclis egenum judicialibus
Sententiarum vos ope ſolvite,
Ne forte circumventus aſtu
Inſidiis pateat malorum.
5 Quorſum iſta jacto? Nil ſapiunt, nihil
Et ſcire curant, in tenebris pede
Incerto oberrant, & libido
Res hominum furioſa miſcet;
Fas omne, & aequum rumpitur, omnia
Turbantur, ordo nullus; ab infimis
Radicibus convulſa tellus
Jam penitus ruitura nutat.
6 Vos rebus olim praeficiens: Dii,
Dixi, eſtis omnes, Diva ab origine
Prognata proles; ſumma vobis
Pene meae ſimilis poteſtas.
7 Communis at vos conditio manet
Mortalis aevi; vos quoque ſemitas
Calcabitis lethi, & ruina
Principibus ſimili cadetis.
8 Tu ſurge, Numen; Tu vice judicis
Defungere aequi, & crimina diſcute
Mortalium: Cunctae ſubibunt
Imperii tua jura gentes.

PSAL-

PSALMUS LXXXII.

Deus quis ſimilis erit tibi &c.

1 *Populus Judaeus a barbaris nationibus oppreſſus Dei auxilium petit, quo praenuntiatur Eccleſiae ſtatus a Gentibus primum, mox ab Haereticis, demum ab Antichriſto oppugnatae.*

2 QUis eſt, vel eſſe par Tibi poteſt, Deus?
Quid ergo ceſſas? Quid premis ſilentio,
Pateriſque inultas improborum injurias?
Ah ne quieſcas, neu Tibi ultra temperes.
3 Tibi ecce gens infeſta motus excitat,
Tubiſque clangit, terra & inflat claſſica,
Contraque Te ſuperba frontem ſuſtulit,
4 Contraque populum conſilia capit tuum,
Peſtemque ſanctis cupida molitur viris:
5 Venite, dixit, infra & omnes mortuos
Mandemus iſtos, atque nomen Iſrael
Premat ſepultum ſempiterna oblivio.
6 Coetu id coacto cogitarunt impii
Concordibus juncti ſimul ſententiis;
Iniere contra Te ſceleſta foedera
7 Jurata Idume, & Iſmaelis agmina,
Toriſque caſtris fit tumultus; convenit
8 Una Moabi, & Agaris dirum genus,
Gebalis, Ammoniſque prava natio,
Et Amalechi gens fera, & Philiſtios

Quicunque aratro barbari vertunt agros,
Fineſque quotquot incolunt Sidonios;
9 Se junxit illis Aſſur, auxilium ferens
Lothi parentis optimi ſtirpi impiae.
10 Hos clade eadem perde, & exitio pari;
Ac perculiſti Madianis agmina,
Caputque clavo fixum adacto Siſaram,
Jabinque regem, qua rapax Giſſon ruit.
11 Periere in Endor ambo, agris cadavera
Sanie inſepulta, tabo & atro diffluunt.
Pingueſcit unde terra, ceu pingui fimo.
12 Duces eorum perde, ſicut Orebum,
Zebumque, Zebeamque regem, & Salmanam,
13 Duces eorum, qui minantes dixerant:
Deo dicata vendicemus limina
Haereditatis jure nobis debita.
14 Devolve eos, ut volvitur praeceps rota,
Diſperge, ſtipulam ventus ut ſpargit levem;
15 Qualiſque ſylvis ignis incubit vorax,
Celſaſque victor comprehendit arbores,
Strident, favillas evomuntque incendia,
Qualiſque ſiccum flamma foenum in montibus
Abſumit, alte fumus ater volvitur;
16 Talis furente concitatus impetu
Illos adurge, iraeque magnitudine
Exterritos percelle, proturba, opprime.
17 Pudore vultus impudentes infice,
Teque invocare, Nomen & diſcant tuum.
18 Porro obſtinati, & Te timere neſcii
Multo erubeſcant, atque turbentur magis,
Maneatque inuſta ſaeclum in omne infamia,
Pereantque merſi ſempiterno funere,

Sero-

19 Seroque tandem ſentiendo intelligant,
Dominum vocari jure, & eſſe Te omnium,
Regnumque terris Te obtinere in omnibus.

PSALMUS LXXXIII.

Quam dilecta Tabernacula &c.

1 *Seu David ab Abſalone pulſus, ſeu populus Babylone captivus ſuum exprimant deſiderium in patriam redeundi, Deique tabernaculum viſendi, certe ſub hac imagine, ac fortaſſe in primis vota refert hominis juſti ad Caeleſtem patriam aſpirantis.*

2 REx o ſumme, latus ſtipant cui mille phalanges,
Quam jucunda mihi ſunt tua templa, Deus!
3 Aeſtuat, aſpiranſque avidis ſacra ad atria votis
Mens deſiderio deficit aegra ſuo.
Exultat, vivique Dei cor geſtit amore,
Quin motus ſequitur cordis & ipſa caro.
4 Invenit tutos ſibi paſſer in arbore nidos,
Turtur habet pullis frondea tecta ſuis:
At mihi ſecurus tua ſunt altaria nidus
Rex, Deus, armipotens, Rexque, Deuſque meus.
5 Felices Animae, tecum tua tecta colentes,
Quae recinent Nomen tempus in omne tuum!
6 Ille etiam felix, cui Tu ſpes una ſalutis,
Qui Tibi praeſidium credidit omne ſuum!
7 Hunc Deus ipſe docet ſemper procedere porro,
Et nunquam feſſo tendere in alta gradu,

Valle & in hac, quam luctus habet, lacrymaeque dolentum
Carpere virtutis ſumma tenentis iter;
Donec ad optati conſcendat culmina Montis,
Metam difficilis quem dedit eſſe viae.
8 Afferet auxilium qui legem condidit, idem:
Viribus his fidens ulteriora petet.
Nitendo magis atque magis vis creſcet, & ardor,
Dum ſe Rex Divum monſtret in Arce Sion.
9 Rex, Deus, omnipotens, audi mea vota, tuaſque
Huc adverte aures, Rex, Deus, Iſacidum.
10 Aſpice nos, o praeſidium, tutelaque noſtra,
In faciem Regis lumina flecte tui.
11 Una dies praeſtat Superis in ſedibus acta,
Quam terrae in miſeris millia multa plagis;
Praeſtat Divinos abjectum habitare penates,
Quam ſub polluta prima tenere domo.
12 Una Deo cordi eſt pietas, verumque: Paratum
Ex illo auxilium, gloria certa venit.
13 Nec benefactorum quiſquam mercede carebit,
Qui trahit innocuos, ac ſine labe dies.
Ter quater o felix, Rex o fortiſſime, quiſquis
Spem ſibi in auxilio credit ineſſe tuo!

PSAL.

PSALMUS LXXXIV.

Benedixiſti Domine &c.

1 *Commemorata liberatione a captivitate Aegyptiaca, orat pro liberatione a Babylonica, ſive rectius pro liberatione generis humani a captivitate Diaboli, pro qua, veluti jam peracta, initio gratias agit.*

2 Pietate tandem victus antiqua, Deus,
Terram beaſti munere optato tuam,
Gemenſque dura ſervitute, vinculis
Jam liberaſti triſte Jacobi genus;
3 Tuae remiſſis ultro genti, admiſerat
Quaecunque per ſocordiam, piaculis,
Alta obruiſti cuncta nocte crimina.
4 Aeſtus tumentes priſtinae iracundiae
Ad lenitatis tranſtuliſti gratiam,
Ira reflectens incitatum ſpiritum.
5 Deus, ſalutis cauſa noſtrae, devios
Ad te reduce, mentem & inſpira bonam,
Alioque transfer, quicquid irarum eſt ſuper.
6 Nunquid tuus nos ſemper urgebit furor,
Traducta & ira ſtirpe ab una in alteram
Nullis feretur terminis coercita?
7 Sed Tu, Deus, pacata vertens lumina
Reddes fugacem ſemivivis ſpiritum,
Tuaeque plebi optata gignes gaudia.

8 Nobis tuam jam pande jam clementiam,
Tuumque noſtrae da ſalutis Vindicem.
9 Eſt Numen in me: Quid loquatur audiam;
De pace nam loquetur, quam ſuis parat,
Qui vel probe vixere, vel certe ſtudent
Ad ſe redire, ac ſaniora perſequi.
10 Salus propinquat jam Deum timentibus,
Jam noſtro in orbe praepotentis Numinis
Verſatur, incolitque terras Gloria;
11 Non aſperata fronte rugis Veritas
Placabili fit obviam Clementiae;
Sibique dextras copularunt mutuas,
Pax, Aequitaſque alterna jungunt oſcula.
12 Tellure jam prognata ſurgit Veritas,
Juſtitia Caelo conſpicanda prodiit.
13 Benignitatem Dominus oſtendet ſuam,
Suumque terra noſtra Fructum proferet,
Fructum ſine ullo procreatum ſemine,
Afflante Caelo ex integro ſolo editum.
14 Praecedet Illum candida Innocentia,
Probitaſque, cunctarumque Virtutum chorus;
Sic aevi inibit Ille mortalis viam.

PSAL.

PSALMUS LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam &c.

Precatio Davidis cum amaro eſſet animo, & Divinae conſolationis imploratio.

1 FLecte aures, Pater alme, tuas ad vota precantis:
Pauper ego, atque omni Te rogo nudus ope.
2 Hanc animam ſerva tot ab hoſtibus undique cinctam;
Nam Tibi ſum ſancta relligione ſacer.
O multum dilecte, tuum, precor, aſſere ſervum,
Qui ſpes in Te omnes, auxiliumque locat.
3 Ah luctus miſerare meos, miſerare labores:
Clamavit totos Te mea lingua dies.
4 Ad Te animum curis aegrum, gemituque levavi:
Tu vera curas, dilue laetitia.
5 Suavis enim, mitiſque Tibi natura; vocato
Multa tuo pietas Nomine ubique fluit.
6 Excipe vota, Deus, facili, quae fundimus, aure
Excipe, ſubmiſſo quas damus ore, preces.
7 Quo me cunque die duri invaſare labores,
Ad Te clamabam, Tu mihi fautor eras.
8 Nulla tuis valeant conferri ingentia facta,
Nulli Te valeant aequiparare Dii.
9 Quotquot utroque jacent Caeli ſubvertice gentes,
Quas tua Divina condidit arte manus,
Advenient, flexoque Tibi ſe poplite ſiſtent,
Et decora extollent Nominis alta tui.

10 Magnus es, & miranda tuae molimina dextrae,
Solus es Omnipotens, ſolus es ipſe Deus.
11 Tu dux eſto viae, trepidantes Tu rege greſſus;
Ingrediarque tuum, Te duce, tutus iter.
Gaudia mens agitet, timor at mea gaudia ſanctus
Temperet, & verear Nomen, amemque tuum;
12 Tunc meritas toto referam Tibi pectore grates,
Nomen & uſque tuum, ſit modo vita, canam.
13 Magna in me pietas tua ſcilicet extitit; Orco
Eductum, penitus qua ſpecus alta jacet.
14 Nunc iterum inſtaurata movent mihi bella nocentes,
Et validae coeunt in mea damna manus.
In caput hoc coetus conjuravere potentes;
Nulla illis de Te cura, timorque ſubit.
15 Tu pius, & patiens, miſeris ſuccurrere promptus,
Veraxque, & fidei, pollicitique tenax:
16 Reſpice me, famulique tui miſerare labores,
Queis ego deficior (a) viribus, adde tuas.
Me ſerva, & tantis trepidantem educe periclis:
Sum tuus, ancilla progenituſque tua.
17 Auxilii da ſigna tui felicia: Cernat
Hoſtis, & ad terram deprimat ora pudor.
Cernat praeſidio mihi Te veniſſe faventem,
Solamen noſtris, perfugiumque malis.

PSAL-

(a) Hebr. Fortitudinem tuam.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus &c.

1 *Civitatis Jeruſalem, qua Eccleſia deſignatur, laudes canit, & gentium vocationem praedicit.*

2 FUndata Sanctis montibus (a)
In aſtra ſurgit Civitas:
Portas Deus plus inclytas
Almae Sionis diligit,
Vetuſta quam dilexerat
Abramidum tentoria.
3 Praeclara de te praecinit,
Deo dicata Civitas,
Qui noſtra dio lumine
Afflat Sacer praecordia,
Intuſque fatur Spiritus:
4 Non inquit, uni condidi
Haec nationi moenia.
Jam nunc mihi ſeſe objicit
Aegyptus (b) ipſa, cladibus,
Ac ſervitute Abramidum
Superba; ſe mihi objicit
Babylon quoque ipſa, non ſemel
Spoliis meorum ditior.
Regnis ab his, & undique

Po-

(a) Intelligit Eccleſiam.
(b) Raab Hebraea vox ſignificat *Superbum*, quo Interpretes intelligunt *Aegyptum*.

Populos vocabo barbaros,
Qui Me, Meique gloriam
Diſcent fateri Nominis.
En exteris e finibus
Huc nationes confluunt,
Tyrique regna ditia,
Simulque fuſcus Aethiops,
Sanctaque in Urbe conſident.
5 (a) O mira res, o res nova,
Omnem prope excedens fidem!
Quemquam ne poſſe dicere
Almae Sioni: Moenibus
Ex his in auras prodiit
Homo, Deuſque Altiſſimus,
Et Urbis idem conditor?
Hoc ipſe ſed teſtabitur
6 Deus verendis litteris,
Aſcripta ubi extant nomina
Tum gentium, tum Principum,
Queis gloriatur civibus
Dilecta Caelo Patria.
7 Illic perenni gaudio
Omnes triumphant incolae,
Laetos, & inſtaurant choros.

PSAL-

(a) Ita Aug. Hier. Theodor. Euthim. Alii aliter. Vide Bellar. in hunc verſ.

PSALMUS LXXXVII.

Domine Deus ſalutis meae &c.

1 *Hominis aerumnis confecti, ac praeſertim Chriſti patientis ad Deum deprecatio.*

2 DEus, ſalutis auctor, ac parens meae,
Noctu, diuque maximis,
Opem rogans, Tibi aſtiti ejulatibus:
Tandem penetrent, obſecro,
3 Ad te preces, & ſupplicis clamoribus
Aures benignus admove.
4 Meus malis hinc inde confluentibus
Circumvenitur ſpiritus,
Et vita Mortis appropinquans finibus
Pene ima viſit tartara.
5 Illiſque vulgo comparandus cenſeor,
Lethaea qui ſulcant vada,
6 Ope ut juvandus nulla, & inter mortuos,
Vitalium exſors munerum;
Iiſque par, qui jam ſepulchris occubant
Confoſſi adacto vulnere,
Quos immemor jam negligis, nec amplius
Manu gubernas provida.
7 Demiſſus ecce ſum lacus ad infimos,
Umbraſque Mortis pallidas.
8 Vel Tu furoris incitatus impete
Me perculiſti innoxium,

Tuo-

Tuoſque, quotquot ira fervet fluctibus,
Meum impuliſti in verticem;
9 Feciſti, ut omnes me mei relinquerent,
Abominatum ceu caput;
10 In hoſtium ſum dura vincla traditus,
Nec ulla jam datur fuga;
Soloque fixae, ac prae dolore languidae
Intabuerunt pupulae.
Voces manuſque Tibi die tota, Deus,
Vitam precatus ſuſtuli:
11 Voles inuſitata nunquid edere
In mortuos miracula?
Aut hi medentum ſuſcitati pharmacis
Tuis vacabunt laudibus?
12 Ecquis ſepulchri ſub tenebris conditus
Tuam canat clementiam?
Aut veritatem praedicet quiſquam tuam
Demerſus inferna Styge?
13 Tot mira, in orbe quae facis, carentibus
Die videri num queunt?
Aut aequitatis ſigna cognoſci tuae
Oblivionis in domo?
14 Ad Te, Deus, clamare feſtino, diem
Praecurro ſurgentem prece,
Ut imminentia occupem pericula,
Tuamque gratiam aucuper.
15 Precationem quid repellis irritam,
Vultum quid avertis tuum?
16 Inops ego, duriſque ſum laboribus
Prima a juventa exercitus;
Honore vix elatus, imo decidi
Repente turbatus ſolo.

17 In

17 In me tua ira erupit, invaſit gravis
De mente dejectum timor,
18 Qualiſque vis immenſa aquarum, turbidis
Abſorbuit nimbis caput,
Circumque fuſus, undique affluentibus
Obſedit uſque fluctibus.
Nec quiſquam amicus adfuit, vel proximus,
Qui me levaret in malis.

PSALMUS LXXXVIII.

Miſericordias Domini &c.

1 *Populi Dei in captivitate poſiti deſiderium, ut Chriſtus multo ante promiſſus adveniat, ubi commemoratis promiſſis Davidi factis de ejus regno in perpetuum duraturo, nec illis in Davidis temporali regno impletis, petitur, ut in Chriſto vero, ac ſempiterno Rege, de quo illa intelligenda erant, impleantur.*

2 QUae pietas, &quanta Deo, quam firma per omnem
Saeclorum ſeriem victuro carmine pandam;
Ore meo natis, tardiſque nepotibus edam,
Summe Pater, quam ſis verax, dictiſque fidelis,
3 Nam fore pollicitus fueras, manſura per aevum
Ut Pietas Caeli ſuper alta aſſurgeret arce
Ceu vaſtam in molem, ſtabili quae condita ſaxo
Impleat aethereas muris ingentibus oras.
Illic promiſſiſque fides conſtabit, & illic

Conſilii inviolata tui Decreta manebunt
Mente repoſta alta, ſolidoque inſcripta adamante.
4 Foedera, dixiſti, nullos violanda per annos
Dilectae genti ſtatui, ſervoque fideli
Davidi in primis: Olli ſacra pacta revelans,
His mea juravi teſtatus Numina verbis:
5 Poſteritas aeterna tuo de ſemine creta
Naſcetur, ſedemque tuam tranſmittet habendam
Et genitor nato, & ſero dein iſte nepoti,
Mox hic poſt genitis, dum ſe ultima tempora volvent.
6 Sed quid ego haec? Quae mira facis, Rex maxime Divum,
Tota renarrabit Domus omnipotentis Olympi.
Et Superi aſſenſu extollent, plauſuque ſecundo;
Inque tuae laudes fidei laeta ora reſolvent,
Et Te veridicum, ſancte & tua dicta tuentem
Conventu in magno recinent, populoque piorum.
7 Ecquis enim nubes ſuper, & ſuper ardua Caeli
Culmina ſeſe auſit ſummo conferre Tonanti?
Ecquis Caelicolas inter ſeſe audeat uni
Aequiparare Deo?
8 Summis quem laudibus omnes
Exornant Caeli cives, Regemque fatentur
Concilio Divum in medio. Spectandus in aureo
Ille ſedet ſolio inſiſtens, magnuſque, potenſque
Majeſtate gravis, formidatoque verendus
Aſpectu totam complet terroribus aulam,
Et medius magna Superum ſtipante caterva
Hinc latus, atque illinc, unus ſupereminet omnes:
9 Quis ſimilis Tibi, bellorum Deus arbiter? Unus
Cuncta potes; Tu vera vides, Tu vera profaris,

Lu-

Lumine Te circum liquido nitet undique Verum.
10 Tu maris imperitas altum aſſurgentibus undis,
Tu tempeſtates cohibes, fluctuſque furentes,
11 Tu faſtus reprimis tumidos, ſterniſque ſuperbos
Vulnere ceu ſubito dejectos; fortia tollis
Brachia, & invicta perdis virtute rebelles.
12 Eſt Caelum omne tuum; Tibi ſervit & ultima tellus;
Terrarum hunc, quacunque patet, tua condidit orbem
Dextera, terrarum & quidquid complectitur orbis.
Tu mare, Tu ventos feciſti, Eurumque, Notumque,
Et Boream, ſeptem ſubjectaque regna trioni;
13 Occiduuſque Thabor, aurorae obverſus & Hermon
Laetitia exiliunt, & moto vertice nutant,
Auctoriſque ſui venerando in Nomine plaudunt,
Tantum dextra valet tua, tantum aeterna poteſtas.
14 Sed ſit dextra potens ſane tua, ſumma poteſtas
Laudibus illa quidem immortalibus extollatur;
At jus, atque aequum ſedem Tibi firmat, & alte
Fultam ſuſtentat, decoratque inſigne tribunal;
15 Aurea te cultu Pietas, Verumque colore
Fucatum nullo, vultu praecedit honeſto:
O gens ante alias fortunatiſſima, quae Te
Laudibus, & digno novit celebrare triumpho!
16 Huic tuus affulget radianti lumine vultus,
Et vitae praemonſtrat iter, quo ſub duce certas
Diſcet inire vias,
17 Et tanto Nomine laeta
Sancta per integras agitabit gaudia luces;
Tuque adeo vires mira bonitate, decuſque,
Imperiumque dabis, vectamque ad ſydera tolles.
18 Ejus enim Tu praeſidium, Tu robur, & omnis
Gloria virtutis; Teque aſpirante, ſubactis

Hoſtibus, erecta feriemus ſydera fronte.
19 Noſter enim vindex Deus eſt; nos Ille ſuorum
In numero aſcripſit, ſuſcepitque Ille tuendos
Rex ſibi devoti ſanctiſſimus Iſraelis.
20 Principio ſanctis clara Te in luce videndum
Vatibus oſtendens, & operta oracula pandens:
Huic Ego conſtitui populo, magnoque futurum
Auxilio miſi, dixiſti, in rebus iniquis
Egregium virtute virum, belloque potentem,
Et populo ex ipſo lectum, de gente meorum,
Quem ſorte evexi ex humili, ſolioque locavi;
21 Quippe meum reperi longo poſt tempore ſervum
Davidem; hunc Regem dixi, & ſacro unguine levi.
22 Olli praeſto aderit mea ſemper dextera; vires,
Sufficiamque animos, fortemque ad praelia reddam.
23 Non illi quiſquam audebit contendere bello
Hoſtis, & infeſto nihil unquam Marte nocebit
Impius, atque iras fruſtra exercebit inanes.
24 Ipſe ego in adverſos procedam comminus hoſtes,
Agmina disjiciam, manabunt ſanguine campi,
Vixque fuga pauci rediment, pedibuſque ſalutem.
25 Nuſquam illum mea deſtituet pietaſque, fideſque,
Nomine & armatus noſtro diſcrimina vincet
Cuncta, triumphalem decorabit laurea frontem,
Creſcet & auſpicio firmata potentia noſtro.
26 Quin etiam validam extendet ſuper aequora dextram,
Fluminaque inſuetas diſcent geſtare catenas.
27 Tu Pater, ille mihi dicet, Tu Numen, in omni
Tu vindex caſu, tutelaque certa ſalutis;
28 Contra Ego non me illi Patrem inficiatus, honore
Dignabor tanto, quantus decet ordine primum
Ex me progenitum cuncti prae regibus orbis

Excelſum magis, & lata ditione potentem.
29 Aeterna, & vicibus nunquam mutabilis ullis
Servata eſt illi pietas mea; firmaque pacta,
Quae ſemel edixi, non aetas ulla reſolvet:
30 Ac dum perpetuo volventur ſaecula lapſu,
Uſque nova illius prodibit ſemine proles,
Et firmum late imperium, ſoliumque tenebit,
Dum gemino alternas luces Sol dividet orbi.
31 Quod leges ſi forte meas oritura propago
Deſerat, & ſcitis procul erret devia noſtris,
32 Si mea polluerit ſacra, ſi mandata refringat,
Haud impune feret;
33 Sublata Ego crimina virga
Ulciſcar, plagiſque luent commiſſa merentes;
34 Sed mea non patri pietas ſe ſubtrahet unquam,
Nec patiar mea verba fide, eventuque carere,
35 Pacta nec infringam; quae ſum ſemel ore locutus
Veridico, rapidis tradam non irrita ventis.
36 Juravi per ſancta ſemel mea Nomina: vanus
Non ero Davidi, nec ficto mentiar ore.
37 Illius aeternum durabit ſemen, & alto
38 Ante meos oculos ſolium fulgebit honore
Perpetuum, & rerum vicibus violabile nullis,
Fulget ut in medio Titan altiſſimus orbe,
Lunaque, cum pleno reparavit cornua menſe,
Aut nubes inter variata coloribus iris,
Foederis antiqui monimentum, ac teſtis Olympo.
39 At Tu, ſumme Parens, verborum pene tuorum
Oblitus, populumque tuum, ſtirpemque futuram
Projicis indignans, ac deſpexiſſe videris
Averſus (a), Regemque tuo unguine delibutum

(a) Jechoniam, & Sedeciam ductos Babylonem.

Heu procul ignotas ejectum extrudis in oras.
40 Servo olim condicta tuo, & jurata reſolvis
Foedera [a]; Sacrati capitis diadema decorum
Polluis abjectum terra, pedibuſque premendum;
41 Vinea jam periit, periit circumdata ſepes
Stirpibus evulſa ex imis; munimen ab omni
Quod fuit ante metu, metus eſt nunc totus, & horror.
42 Quiſquis praetereat, gravidos de vite racemos
Diripit, illudunt vicini; & ſcommata jactant.
43 Tu vires dextris hinc inde prementibus addis,
Tuque animos victori, & gaudia ſufficis hoſti;
44 Propugnatorum gladios, velut ante ſolebas,
Non ope ſuſtentas, nec ſe defendere bello
Conanti, infeſtaſque acies depellere Regi
Auxilio venis, & ſolum, nudumque relinquis.
45 Nulla illi jam mundities, jam nulla ſuperſunt
Ornamenta, rudi ſordet velatus amictu,
Eliſa ad terram jacet atro in pulvere ſedes
Regia, nulla ſuper regni veſtigia reſtant.
46 Ut ſperata brevi clauſiſti tempora meta,
Contracti ut fluxere dies! pudor occupat aegrum,
Turbatumque, hominumque oculos, lucemque timentem!
47 Quem, Deus, ad finem tantum indignata retrorſum
Lumina torquebis, populumque averſus egentem
Deſpicies? Tantae ne animis caeleſtibus irae
Ardeſcunt, veluti laxis immiſſus habenis
Cuncta vorat, ſemperque furit violentior ignis?
48 Quid tantum exitio incumbis? Quae vita, memento,
Noſtra ſit, utque dies brevis aevi limite claudat.
Nun-

(a) Vid. Bellar.

Nunquid enim fruſtra mortales vivimus, a Te
Aeternam in cladem, truculentaque fata creati?
49 Quiſnam hic perpetuo vivet, nec dura ſubibit
Jura necis, quis non Manes deſcendet ad imos?
50 Nunc ubi priſca, Deus, pietas tua, nunc ubi quondam
Davidi promiſſa fides, jurataque pacta?
51 At reputa, quantis patet, urgeturque tuus grex
Opprobriis, quam foeda vomunt convicia gentes,
Quae noſtro contenta ſinu ſine voce premuntur.
52 Inſultat tuus, & nobis, Deus, exprobrat hoſtis,
Quod data nempe Tuo per verba graviſſima Regi (a)
Sic fuerit mutata fides, indignaque tantis
Reddita ſit meritis merces.
53 Sed gloria ſemper
Juſta Deum, quaecunque illi ſint viſa, ſequatur.
Sic precor, eveniat: Nutu, Deus, omina firma.

PSALMUS LXXXIX.

Domine refugium factus es nobis &c.

A pluribus tribuitur hic pſalmus Moyſi, quod & Verſio vulgata praeſefert.

Vitae brevitatem, caeteraſque miſerias per peccatum inductas deſcribit, Deique miſericordiam implorat.

1 PErfugium, Deus, es nobis diſcrimine in omni
Majorum ab aevo poſteros ad ultimos.
2 Cum nondum aerias ſuperarent vertice nubes
Educta Caelo montium cacumina,

(a) Juxta duplicem expoſit.

Cum nondum tellus, nondum conſiſteret orbis,
Ab alio in aliud ſaeculum regnas Deus.
3 Parce hominum genus indignis permittere curis,
Ut ſempiternis obſoleſcat ſordibus.
Gens tibi chara ſumus: Tua nos ea dicta petebant:
Conſilia mentem ad ſaniora vertite.
Heu miſeri! Nihil hic longum perdurat in aevum,
Breviſque vita, & aura abit fugacior.
4 Mille licet tribuas annos, Tibi quantula ſumma eſt!
Heſterna qualis lapſa, quae fugit, dies,
5 Aut quales, quas nocturnus vigil excubat, horae;
Ut ſint putandi tam breves anni nihil.
6 Herba novo veluti floreſcit mane, caditque
Mox veſperi, ſeneſcit, ac ſtatim aruit.
Vita die haud aliter floret mortalis in uno,
Tum conſeneſcit, aret, ac demum occidit.
7 Nam tua ſic meritos ad lethum compulit ira,
Citaeque mortis tradidit terroribus.
8 Noſtra tuum contra poſuiſti crimina vultum,
Et cuncta clara in luce vitae tempora.
9 Inde dies lapſu contracti abiere fugaci,
Perculſi & ira ceſſimus ſatis tua;
10 Vitaque ſe vano exercet conſumpta labore,
Aranea ut ſe tela inani eviſcerat.
Bis ſeptem luſtris humanae clauditur orbis
Vitae, aut bis octo, ſi quis eſt valentior;
Ulterius ſi quid, nihil eſt, niſi debilis aetas,
Laborque varius, inquietus & dolor.
Tunc ſubeunt mites anni, faſtuſque remittit,
Et ſpiritus fit uſque caſtigatior.
11 Quis tua quid valeat, digne ſatis aeſtimet, ira,
Ejuſque, prae timore, pondus exigat?

12 Nunc

12 Nunc oſtende tuam, tribuat quae munera, Dextram,
Sapientiaque quos Tua erudiveris (a).
13 Verte oculos: (ſemperne illos avertere certum eſt?)
Tuiſque ſervis redde Te placabilem.
14 Lux veniet, veniatque precor, qua nos tua totos
Cunctis diebus impleat Benignitas.
15 Qualia tunc animos mulcebunt gaudia noſtros,
Qualis voluptas influet tunc pectori!
Tunc actos moerore dies meminiſſe juvabit,
Annoſque, dura vidimus quibus mala.
16 Ore tuos placido famulos, quos ipſe creaſti,
Reſpecta, & illis procreatos dirige;
17 Noſque tui illuſtra Divino lumine vultus,
Manuumque facta quaeque noſtrarum rege.

PSALMUS XC.

Qui habitat &c.

Adhortatio ad fiduciam in Dei auxilio collocandam.

1 QUem Deus, firma velut arce tectum,
Numine adjutor valide tuetur,
Regis immenſi Superum quieſcet
Tutus in umbra;
2 Is Deo dicet: meus eſto vindex,
Eſto Tu noſtrae columen ſalutis;
Ille mî ſolus Deus; eſt in Illo
Spes mihi, eritque.

(a) Vid. Bellarm.

3 Ille venantum laqueo implicatum,
Jamque mactandum caput expedivit,
Et mihi cavit; mala ne impiorum
Facta nocerent.

4 Macte virtutis! Scapulis obumbrans
Te ſuis condet, patulaſque ſupra
Porriget pennas placidoque ſomnos
Pectore duces.

5 Ejus, ut pando clypei ſub orbe,
Te fides circum teget; inde noctis
Inter obſcurae varios timores
Tutus abibis.

6 Seu die intortae volitent ſagittae,
Sive nocturnis lateant in umbris,
Torva ſeu incurſet, mediaque luce oc-
currat Erymnis.

7 Mille procumbent latus ad ſiniſtrum,
Millia ad dextrum data dena letho;
Te leves ſtridens jaculum per auras
Stringere parcet.

8 Ipſe tum cernes oculis, quid ultor
Saeviat Numen, meritaque ſontes
Clade percelli, ſcelerumque dignas
Solvere poenas.

9 Grande te Nomen tegit: Es mihi una
Spes, Deo dixti; ſtat in arce ſumma
Forte munimen, tibi bella contra
Cuncta paratum.

10 Nulla te invadent mala, nulla Peſtis
Triſte te circum quatiet flagellum,
Sed tuis longe, metuens ferire,
Sedibus ibit.

11 Rex

11 Rex poli alatam Superum cohortem
Ad tuum juſſit latus excubare,
Quaque iter tendas, comitem tuarum
Eſſe viarum.

12 Illa ſublimem manibus levabit;
Forte ad extantes lapidum ſalebras
Ne pedem offendas, & humum caduco
Corpore plangas.

13 Aſpidem ſupra, & tumidum veneno
Regulum forti gradiere paſſu,
Et premes torvum pedibus Leonem,
Sive Draconem.

14 Spem mihi hic omnem, Deus inquit, uni
Credidit; Cunctis adero in periclis
Tutor, ac vindex: Mihi quae ſit ipſo in
Nomine virtus,
Is probe novit;
15 Prece me vocabit
Flebili, advertam miſeratus aurem;
Quin nec indigni ſocius doloris
Eſſe recuſem.
Fluctibus mox e mediis malorum
Soſpes eductus, placidoque portu
Conditus, per me celebri nitebit
Auctus honore.

16 Tum dies illi numerare longos,
Tum dabo noſtrum ſine nube vultum
Cernere, & quicquid fluit hoc in omnes
Fonte ſalutis.

PSAL-

PSALMUS XCI.

Bonum eſt confiteri &c.

1 *Canendus die Sabbati, quo diſcat populus Dei laudibus vacare ob creationem praeſertim, caeteraque magna Dei opera, & poenas impiis infligendas*

2 NUnc eſt canendum, laudibus eſt Deus
Nunc efferendus; pſallere carmine
Nunc feſto oportet, Rex Deorum,
Atque tuum celebrare Nomen.
3 Tu mane primo, Tu, & pietas tua
Dicenda, claro ſplendidior die,
Tu nocte ſera, Veritaſque
Illa ſacris latitans tenebris.
4 Nunc temperatam cum fidibus decem
Teſtudinem, nunc promite nablia,
Intendite & vocalis aurea
Fila lyrae, ſocianda cantu.
5 Meo voluptas quanta animo influit
Tuae intuenti facta potentiae,
Caelumque, terrarumque molem,
Totque tuae monimenta Dextrae?
6 Praeclara quam ſunt, quae facis, Artifex
Divine rerum, magnifica manu!
Quae cogitas, quam ſunt profunda
Conſilia, & penetranda nulli!

7 Quam

7 Quam moliaris grandia, noſcere
Rerum imperito non homini datum,
Nec mente complecti, ut ſagaci
Judicio modereris orbem.

8 Poſtquàm nocentes prodierint ſolo
Repente, & altum ſuſtulerint caput,
Ceu prata pubeſcens inumbrat
Luxuria viridante foenum,

9 Ictu reciſi mox ſubito cadent,
Per cuncta merſi funere ſaecula:
Tu ſempiterno ſolus aevo,
Perpetuo frueriſque regno.

10 Tui en peribunt, ecce tui, Deus,
Hoſtes peribunt; pulveris in modum
Diſperſi in auras; differentur
Quotquot agit ſcelus omne coecos.

11 Ego at ſupino, rhinoceros velut,
Erecta tollam vertice cornua,
Tardaque confectum ſenecta
Multa Dei Pietas fovebit.

12 Fruſtra frementes deſpiciam minas,
Et fama noſtris afferet auribus,
Qui Marte me injuſto laceſſunt,
Hos ſubita periiſſe clade.

13 Ceu palma Idume floret in ardua,
Juſtus vigebit; ceu Libani jugis
Attollitur procera cedrus,
Ille caput ſuper aſtra condet;

14 Non glareoſo conſitus in ſolo,
Divinae at ipſis aedis in atriis,
Imo aede in ipſa, germinabit
Flore decens, locupleſque fructu.

15 Mox

15 Mox ad ſenectam proferet ultimam
Dies; ſenectus ſed viridis, ſui
Sed plena ſucci, nec ſatiſcens
Viribus, & patiens laborum,
Ut teſtis oris nuntiet omnibus,
16 Quam rectus orbi Rex Deus imperet,
Iniquitas ut nulla ſancti
Judicii rata Jura laedat.

PSALMUS XCII.

Dominus regnavit, decorem &c.

Dei potentiam commendat ob mundi creationem, vel reparationem per Chriſtum, cujus regni, id eſt Eccleſiae fundationem, deſcribit.

1 REgno potitur perpetuo Deus;
Decoro amictus lumine gloriae,
Virtute & accintus potente
Forte latus, patuit quis eſſet.
Olim Ille terram pondere condidit
Suo libratam, nullus ut impetus,
Hanc nulla vel momenta poſſint
Sede ſua removere molem.
2 Jam tum perennem, ſumme Opifex, Tibi
Sedem paraſti: Tu prior omnibus
Es ſaeculis, ſemper futurus,
Qualis es, & fueras per aevum.
3 Immiſſa terris flumina murmure

Ma-

Magno ſonabant,
4 Flumina fluctibus
Altis tumebant, inquieto
Unda frequens fremuit tumultu.
Immane, quantos tum mare volveret
Montes aquarum: mira Dei tamen
Caelo tonantis vox ſuperbum
Littoribus pelagus coercet.
5 Tua ergo certam dicta fidelibus
Probata ſignis inveniunt fidem:
Tu Sanctus es, ſanctaſque ſemper
Quas habitas, decet eſſe ſedes.

PSALMUS XCIII.

Deus ultionum Dominus &c.

Petit, ſeu praedicit extremum impiorum ſupplicium.

1 ILle ultor ſcelerum, terribilis Deus,
Ille ultor Dominus, nil remorantibus
Vindictam objicibus, liber ab omnibus
Poenas ſontibus exigit.
2 Tu, qui facta hominum ſingula judicas
Inſiſtens ſolio celſus in arduo,
Quae ſunt promeriti, redde agitantibus
Magnos pectore ſpiritus.
3 Quis faſtu gravidis ſit pudor impiis,
Captandaeque modus crimine gloriae?
4 Quid tantum ore fluant, quid mala praedicent
Buccis facta tumentibus?

5 Atqui illi populum, Tute vides, tuum
Sunt auſi opprobriis mille laceſſere,
Et quem legitimo jure Tibi arrogas,
Vexarunt miſeris modis.

6 Indigno vidua eſt dedita funeri,
Et pupillus inops; Sanguine perfidam
Sparſit caeſus humum, ſi quis inhoſpitis
Oris appulit advena.

7 Sic ſecum tacito pectore muſſitant:
Nullis haec oculis aſpiciet Deus,
Nullis, quem celebrant Iſacidae Deum,
Haec intelliget auribus.

8 Stulta o gens hominum, jam ſapere incipe,
Vecordemque animo pone libidinem,
Quae coecat miſeram, ſed melioribus
Mentem conſiliis rege.

9 Is, qui nos bibulis muniit auribus,
Non vocum ſonitum, ſtipes ut, accipit,
Qui noſtris oculos frontibus indidit,
Non ipſe omnia perſpicit?

10 Qui gentes ſcelerum non ſemel arguit
Poenis edomitas, quique ſcientiae
Omnis fons homini eſt, is ſapiet nihil,
Nec quenquam peraget reum?

11 Quid volvant homines pectore, inanibus
Ut curis animum diſcrucient ſuum,
Illo Rex Superum lumine diſpicit,
Quo circumſpicit omnia.

12 Felix, ad ſolidam quem ſapientiam
Formaris, monitis erudiens tuis,
Et praecepta, Deus, noſſe ſalubria
Legis cui dederis tuae!

Quo

13 Quo turbata malis pectora mulceas
Caeleſti eloquio, donec ad infimum
Sit depreſſa ſolum foſſa, nocentium
Quam ſenſim exitio excavas.

14 Gentem non etenim deſtituet ſuam,
Aut impune ſinet cladibus obrui
Gentem, jure ſuo quam ſibi vendicat
Ille ultor ſcelerum Deus;

15 Donec judicio Juſtitia ultimo,
Spectanda in medio lumine prodeat,
Quam juxta aſſideant laeti hominum chori
Fas, aequumque colentium.

16 At nunc auxilio quis veniet mihi
Tot contra furias dira frementium?
Quis contra inſidias, quae latus obſident,
Addet ſe ſocium mihi?

17 Ni me praeſidio protegeret Deus,
Hoſtes heu miſero tot capiti imminent,
Noſter tartareis ut prope ſpiritus
Demerſus tenebris foret.

18 Heu dixi quoties: Lubrica corruunt
Jam veſtigia! Sed ſuſtinuit tua
Lapſantem pietas, o Deus, atque opem,
Qua tunc indigui, tulit.

19 Quantae multiplici vulnere ſaucium
Strinxerunt animum ſolicitudines,
Tantum deliciae mox recreant tuae
Dio nectare ſpiritum.

20 Quid (a)? Commune tibi nunquid Iniquitas
Inſiſtit ſolium? difficiles feras
Ut leges, neque ſtet magna fidelibus
Merces dicta laboribus?

(a) Alii aliter legunt, & explicant.

21 Hic mos judicibus ſcilicet improbis:
Juſtos inſidiis excipiunt viros,
Quos circumveniant criminibus, pium
Certi effundere ſanguinem.
22 Sed contra inſidias, atque pericula
Nobis praeſidio dexter adeſt Deus:
Hic immota ſedet, firmaque nititur
Spes, quae pectora roborat.
23 Culpas Ille ſuas vertet in impios,
Et poenas repetet flagitiis pares;
Perdet ſic meritos exitio Deus,
Ille ultor ſcelerum, Deus.

PSALMUS XCIV.

Venite, exultemus Domino &c.

Omnes invitat ad Deum laudandum, eique morem gerendum, ne ſicuti pervicaces Hebraei a Terra promiſſa, ita ii a Caelo excludantur.

1 VEnite, amici, adeſte: Promamus Deo
Concepta mente gaudia;
Feſtos ſalutis noſtrae amico Numini
Laetoſque ducamus choros;
2 Dura ultionis occupemus tempora,
Admiſſa faſſi crimina,
Semperque pronam ſupplici clementiam
Grato efferamus carmine;
3 Rex nempe magnus, magnus eſt noſter Deus,
Rex eſt Deorum maximus.

4 Potentia Ille ſceptra terrae ad ultimos
Extendit uſque limites.
Minata Caelo montium cacumina
Subjecta proſpectat ſibi;
5 Immenſus illi paret Oceanus, ſuos
Et ſponte fluctus ſubjicit;
Namque Idem & undas procreavit, aridam
Idemque terram condidit.
6 Adeſte: Flexo procidamus poplite
Tanto advoluti Numini;
Ante Ejus ora, nos qui in auras edidit;
Flendo expiemus crimina.
7 Eſt noſter Ille Dominus, ac noſter Deus,
Nos populus Illius ſumus,
Et grex, ſuis quem nutrit Ille paſcuis,
Oveſque, quas manu regit.
8 Hunc te vocantem ſi quis hodie audiveris,
Corda obſtinata ne geras.
Vocem obſeratis, Ipſe ſic infit, meam
Ne reſpuatis auribus,
9 Veſtris quod olim factitatum eſt patribus,
Iras mihi aſperantibus,
Me quando per deſerta tentarunt loca,
Dictis adorti audacibus.
Verum meam ſenſere tum potentiam,
Opera intuentes grandia.
10 Per bis vicenos gente cum dura mihi
Annos negocium fuit,
Semperque, dixi, hi vera aberrant a via
Acti improba libidine.
11 Meas tenere noluerunt ſemitas,
Meiſque juſſis obſequi.

Per Numen illis ſed Ego juravi meum (a);
Juſto furore percitus,
Terrae quietis a beatae finibus
Semper futuros exules.

PSALMUS XCV.

Cantate Domino canticum novum, cantate &c.

Quamvis hunc pſalmum David compoſuerit, cum reduceretur Arca in montem Sion, & Eſdras eum cani juſſerit, cum templum poſt captivitatem iterum aedificaretur, certum eſt in eo praedici adventum Chriſti, ejuſque regnum.

1 NOn audita prius fundite cantica,
Qui terrae varias incolitis plagas;
Terra omnis, Domino carmina concine,
2 Laudes eximio concine Nomini:
Quae noſtro generi parta redit ſalus,
Illo authore, novis, quotquot eunt dies,
Ad vocum numeros laudibus inſonet;
3 Vulgate in populos tam bona nuncia,
Ejuſque ad ſuperos tollite gloriam,
Quam gentes tenebris triſtibus obſitae
Diſcant; Quaeque facit mira, habitabilis
Extremis regio finibus audiat.
4 Magnus quippe Deus, dignis & omnibus
Ornari omnigeno carmine laudibus;
Idem terribilis, cum medio ſtetit

(a) Numer. 14.

Divum in concilio, ac voce minax tonat.
5 Verum quae populi Numina barbari
Sacro thure colunt, non ea Numina,
Sed triſtes Furiae, quas Stygiis foras
Emiſit tenebris Tartareum Chaos.
Ille unus Deus eſt, Qui ſuperas domos,
Qui Caeli explicuit magna volumina;
6 Ante Ipſum, ſolio dum ſedet aureo,
Laudum materies ampla perennium,
Miro diſpoſitum viſitur ordine,
Quod mens nulla poteſt fingere pulchrius;
Et rerum facies mille decentium;
Auguſtiſque adytis undique ſanctitas,
Perſtringitque oculos magnificentia.
Vos, urbes, populis cultaque barbaris,
Longe ſepoſitis oppida finibus,
7 Vos certate Deum tollere honoribus,
Cultuque eximio; debita Nomini
Divino officia, & reddite gloriam.
8 Delectas gregibus ducite victimas,
Sacratiſque pedem ponite in atriis;
Voſque ante ora Dei ſternite cernuos,
Caſta & veſtibulis oſcula figite.
9 Ante Ejus faciem ſedibus excita
Omnis terra ſuis ſubſiliat, ſacros
Et confeſſa Deum concipiat metus.
Regnavit Dominus, dicite gentibus,
Cunctis, dicite, io, regnat io Deus.
10 Terram Ille imperio condidit, ac regit,
Nullae quam moveant ſede ſua vices;
Vitas Ille hominum, criminaque integro
Scrutans judicio, nil ſinet abditum.

11 Jam Caelum inſolita laetitia fremat,
Jam terra exiliat concita gaudio,
Jamque aequor tremulis fluctibus adſonet;
Et quantum aequoreis fluctibus innatat,
Dum tanti facies conſpicitur Dei.
Judex ecce Deus, ecce Deus venit;
En gaudet viridi laetus ager ſolo,
Pingui & laetus ager quidquid alit ſolo;
12 En motae umbriferis ſaltibus arbores
Plaudunt, en quatiunt alta cacumina;
Judex namque venit, ecce Deus venit,
Terras arbitriis corrigat, ut ſuis.
13 Aequum terrigenis Ille paventibus
Reddet judicium, parcere neſcia
Suſpendet populos in trutina, ſuis
Poenam ut pro meritis, praemia vel ferant.

PSALMUS XCVI.

Dominus regnavit, exultet terra &c.

David, interfecto Abſalone, in regnum reſtitutus, inde occaſionem capit deſcribendi regnum Dei, vel Chriſti poſt judicium, quando hoſtibus plane proſtratis, in ſumma gloria, & tranquillitate regnabit.

1 AEterna victor regna tenet Deus:
Tellus utroque a cardine concita
Exultet, & ſparſae per omnem
Inſulae Oceanum triumphent.

2 Caliginoſis undique nubibus
Stipatur: adſtans Juſtitia horridum [a]
Fulcit tribunal, Veritaſque,
Nixae humeris rigidae ſorores.
3 Alte ſedentem de ſolio emicans
Praecedit ignis vortice fumido,
Circumque ſerpens, diſſipatos
Inſequitur violentus hoſtes.
4 Torta ut rubenti fulgura dextera
Luxere, terror gentibus ingruit;
Vidit perhorreſcens, ſimulque
Exiluit tremefacta tellus.
5 Cera ut propinquis liquitur ignibus,
Vultu minaci ſic juga montium
Extabuerunt, tota tellus
In cineres reſoluta ſedit.
6 Illum ipſa juſtum ſydera praedicant,
Orbeſque, jugis quos rotat impetus;
Cunctiſque Divina explicavit
Gloria ſe populis videndam.
7 Iis ora turpis dejiciat pudor,
Qui ſculpta adorant, vanaque Numina,
Mutiſque fruſtra gloriantur,
Spemque ſibi poſuere ſignis.
8 At vos honorem ſucciduo genu
Deo, beati reddite Caelites:
Audivit; Aſſenſu faventum
Laeta Sion, fremituque fervet.
Judaeque alumnae, fidae Animae Deo,
Teſtantur altis gaudia plauſibus,

(a) Juſtitia, & Judicium Firmamentum ſolii ejus; Ita S. Hieron., & Hebrae.

Quod lance juſta ponderaris
Res hominum, intemerate Judex.

9 Tu regna late, maxime Principum,
Extendis, omnes Tu ſuperemines,
Quicunque Divorum beato
Aethereum bibit ore nectar.

10 O quiſquis unum, caetera negligens,
Amore caſto proſequeris Deum,
Quod odit Ille, & tu peroſus,
Omne malum, ſcelus omne vita.

Deus ſuorum Numine dextero
Vitas tuetur. Frendeat impius
Telis obarmatus; minaces
Effugient ſine fraude dextras.

11 Juſtis renidens jamque oritur dies,
Quam nulla nubes, nullaque nox teget;
Et corde recti laetiores
Incipiunt agitare luces.

12 Tuae ſit auctor laetitiae Deus,
Gens juſta; dignis dic age laudibus (a)
Ter Sanctum, & acceptam referto,
Quam tribuit tibi, Sanctitatem.

PSAL-

(a) Juxta dupl. ſenſum.

PSALMUS XCVII.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia &c.

Sub ſpecie ſalutis a Deo Judaeis allatae ſalutem humano generi a Chriſto partam canit; ejuſque primum, & ſecundum adventum praedicit.

1 PAngite Divino nova carmina pangite Regi,
Qui mira ſolus edidit.
Illius afflictum ſervavit Dextera mundum,
Sanctique virtus Brachii.
2 Cunctis conſpicuam terris dedit eſſe ſalutem,
Suo paratam munere;
Juſtitiamque ſuam denſa caligine tectam
Cunctis retexit gentibus.
3 Priſca ſubit pietas, & menti pacta recurſat
Cum ſtirpe Jacobi fides.
4 Jamque omnes terrae fines videre ſalutem
Auctore partam Numine.
5 Quaelibet ora Deo laudes date, fundite carmen,
Choris vacate, & pſallite;
6 Pſallite nunc cithara, dulci nunc pſallite voce,
Tubae & ſonore ductilis;
Cornea nunc auras ſtrepitu tuba vibret acuto,
7 Deoque coram ludite;
Audiat, & motis exultet fluctibus aequor,
Et quidquid aequor continet;

Denique terrarum totus quoque geſtiat orbis;
Et orbis omnes incolae.
8 Flumina tum manibus plaudent, monteſque ſupini
Excelſa motabunt juga
Ante Dei faciem, ſupera qui labitur arce,
De toto ut orbe judicet.
9 Omnes Ille homines trutina ſuſpendit in aequa,
Jus redditurus ſingulis.

PSALMUS XCVIII.

Dominus regnavit, iraſcantur populi &c.

Poſt regnum in domo Davidis ſtabilitum, ſive ut aliis placet, poſt Judaeos Babylone reductos, hortatur ad regnum Dei agnoſcendum, eumque adorandum, exemplo majorum, qua in re Eccleſiam praecipue reſpicit, ubi Dei regnum maxime floret.

1 DEus triumphans regnat: Inutili
Infrendeant ira, & trepido fremant
Gentes rebellantes tumultu:
Regnat jo, Deus ille regnat;
Qui terga Divum deſuper inſidens
Premit volantum, regnat jo Deus:
Repugnet indignata tellus,
Inſolitos cieatque motus.
2 In arce praeſens Ille Sionia
Quam magna magnus jura habet imperî!
Quam

Quam celſus aſſurgit! ter ampla
Ut populos ditione froenat!

3 Magnum ergo Nomen, depoſitis minis,
Pacem precati laudibus efferant,
Nomen tremendum, terque Sanctum,
Nomen idem venerentur aequum;
Namque aequitatem Rex amat; hoc decus
Illi arrogavit Regia dignitas;
Tu jura, Tu mores regendis,
Rex ſapiens, populis dediſti:

4 Quantaque mundum juſtitia ordines,
Qualique ſontes judicio premas,
Teſtes Jacobi nepotes;
Et merito data cuique merces.

5 Laudate noſtrum, gens hominum, Deum,
Et qua verendos ſede (a) locat pedes,
Pronis adorate advoluti
Corporibus; locus iſte ſanctus.

6 Ejus fuerunt praepoſiti ſacris
Moſes, & Aron; Hunc Samuel prece,
Votiſque fuſis invocavit,
In numero eximius piorum.

7 Verbis rogabant ſupplicibus Deum,
Praebebat aures Ille rogantibus,
Atraeque ſub nubis columna
Dicta dabat veneranda tectus.
Ipſi imperantis juſſa facesſere,
Servare leges & ſibi traditas
Pro ſe laborabant, ſacrorum
Nec patrios violare ritus;

8 Tu deprecantum vota libens, Deus,
Exaudiebas, auxilium ferens,

(a) i. e. Arca foederis.

Injurias &, ſi quis illos
Laederet, haud patiens inultas.
9 Deum ergo noſtrum tollite honoribus,
Et quo dicatam monte tenet domum,
Pronis adorate advoluti
Corporibus: Deus iſte ſanctus.

PSALMUS XCIX.

Jubilate Deo omnis terra, ſervite &c.

Adhortatio ad Deum laudandum.

1 OMnis terra, Deo prome age gaudia,
Teſtare obſequium laetitia tuum,
2 Ejuſque ante verendos
Conſpectus hilaris veni;
3 Hunc rerum Dominum, hunc eſſe ſcias Deum,
Qui nos e nihilo condidit erutos:
Non nos fecimus ipſi,
Qui ſemper fuimus nihil.
4 Nos Ejus populus, nos ſumus optimi
Paſtoris pecudes altae in ovilibus:
Illi ſolvite grates,
Intrantes ſacra limina.
Feſtis pulſa ſonent atria canticis,
Et laudes patrio pangere Numini
Pro ſe quiſque laboret,
Quamvis non meritis pares.
5 Tam dulcis Domini Nomen amabile
Laetis ad Superos tollite plauſibus:

Nil eſt ſuavius Illo,
Et jucundius eſt nihil.
Durat perpetuis vivida ſaeculis
Illius Pietas; per varias vices
Uſque immota manebit
Ejus candida Veritas.

PSALMUS C.

Miſericordiam, & Judicium &c.

Boni Principis, & Patris familias officia ſuo exemplo deſcribit.

1 TUam, Deus, clementiam,
Et aequitatem judicis,
Qua temperas mortalia,
Et temperari praecipis,
Eſt exequi mens carmine.
2 Sed voce tunc apta canam,
Pectens ſonantem barbiton,
Tunc ſanctioris optima
Vitae inſtituta intelligam,
Dum Tu mihi optatiſſimam
Opem ferens adveneris
Illapſus imo pectori.
3 Ego innocentem quolibet
Vitam peregi a crimine
Domeſticis in ſedibus,
Nil unquam iniquum cogitans,

Imo & peroſus improbos,
Qui ſacra jura verterent.
4 Pravum maligno pectore
Qui cor foveret, ad meum
Acceſſit haud comes latus,
Et nulla mecum foedera
Inivit, aut commercia.
A me receſſit impius
Meis iniquus moribus:
Neſcire finxi, hujuſmodi
Alienus a ſodalibus.
5 Quicunque noſtris auribus
Tacite inſuſurrans, alterum
Falſi arguebat criminis,
Hunc angue pejus oderam.
Qui deſpicatus caeteros
Tumebat arrogantia,
Quique improba cupidine
Opes avaras aggerans
Inſaniebat, hunc meae
Dignabar haud menſae cibis.
6 At ſi qui ubique gentium
Fidem colebant, lumine,
Blando intuebar, annuens,
Mecum ut ſederent; integer,
Et labe nulla ſordidus
Mihi adminiſter adfuit.
7 Quicunque per ſuperbiam
Seſe inſolenter efferat,
Trabibus ſub iiſdem, vel meae
Vetabo verſetur domi;
Qui fraudulentis abdita

Ver-

Verbis ſtruit mendacia,
Praeſentis ora non tuli,
Averſa torquens lumina.
8 Cum prima ſeſe proderet
Adulta nondum iniquitas,
Mora remota, protinus,
Quotquot fuerunt improbi
In hiſce regni finibus,
Ferro necandos cenſui,
Omnes ſacratis ut Deo
De Civitatis moenibus
Exterminarem noxios.

PSALMUS CI.

Domine exaudi orationem meam, & clamor &c.

1 *Hominis in luctu, ac moerore poſiti, ſive is Chriſtus ſit, ſive populus captivus, ſive poenitens peccator, ad Deum oratio, in qua generis humani reparatio, & Eccleſiae aedificatio praedicitur.*

2 COelituum Divine, preces, Rex, accipe noſtras,
Clamor & hic vultus obſtrepat ante tuos.
3 Ne faciem avertas, aures ſed flecte benignas,
Quae mihi cunque malis fulſerit atra dies.
Qua Te cunque die moeſto clamore vocaro,
Ocyus ah votis annue ſupplicibus.
4 Nam veluti tenues abit ater fumus in auras,
Sic volucres vitae praeteriere dies;

Et mea ſic arent exhauſtis carnibus oſſa;
    Ligna velut tepidis injicienda focis.
5 Ceu foenum, nimio quod ſol percuſſerit aeſtu;
    Langueo, corque arens non ſuus humor alit.
Idcirco dulces menſas oblitus, & eſcas
    Vix traxi longa languida membra fame.
6 Sic gemitu feſſus, ſingultuque ilia duxi,
    Haereat ut ſiccis oſſibus atra cutis.
7 Protraxi luctus, ſolis ceu plorat in arvis,
    Quae proprio pullos ſanguine paſcit, avis;
Semirutaeque domus ceu ſummo in culmine bubo
    Per noctem querulo carmine triſte gemit;
8 Ante diem evigilans, tecta ut ſuper alta domorum
    Solivagus paſſer, multa dolens gemui.
9 Turba mihi lingua inſultans inimica procaci
    Per totos fudit probra pudenda dies;
Quique mihi verbis aſſentabantur amicis,
    Jurati in noſtrum mox coïere caput,
10 Quod cinerem donis ſparſum cerealibus eſſem,
    Miſtaque cum lacrymis procula diluerem.
11 Sed tua me facies, tuaque ira exterret: in altum
    Erigis, allifum dejicis inde ſolo.
12 Jamque mei fugere dies, ut mobilis umbra,
    Arui, & aeſtivo ceu ſolet herba cane.
13 Tu, Deus, aeternum vivis, monimentaque dextrae
    Magna tuae nulla ſunt peritura die.
14 Tempus adeſt: ſurgens tandem miſerebere Sion;
    Afflictae dextram tendere tempus adeſt.
Nunc aequata ſolo, lapidumque informis acervus
    Illa nihil priſcae nobilitatis habet:
15 At confuſa tuis placuerunt rudera ſervis,
    Et pietate animos inclyta terra movet.

16 Jam-

16 Jamque tuo diſcunt palleſcere Nomine gentes,
Et tua jam reges fama timore quatit.
17 Tecta renaſcentis ſtruxit reparata Sionis,
Spectanduſque ſuo ſtabit honore Deus.
18 Excepit populi tandem pia vota dolentis,
Nec miſeras dura reſpuit aure preces.
19 Haec diſcant ſeri ſcriptis mandata nepotes,
Atque eat in laudes ſtirps oritura Dei.
20 Nos ſupera rerum Dominus proſpexit ab arce,
Et placida ad triſtem lumina flexit humum,
21 Quo gemitum audiret crudelia vincla trahentum,
Pignoraque extincto ſolveret orba patre.
22 Ergo Deus tota celebretur in urbe Sionis,
Et Solyma illius laude recuſſa ſonet.
23 Huc ſimul accurrent reges, populique frequentes,
Ut Dominum vera relligione colant.
24 Cum Solyma (a) floreret adhuc armiſque, viriſque,
Et virtute vigens, imperioque potens,
Jam tum animo brevia haec reputans: Ediſſere, dixit,
Tempora des vitae, quantulacunque, Deus.
25 Ne mea dimidio rumpas fatalia curſu
Stamina: in aeternos ſtat tibi vita dies.
26 Principio terram vaſta Tu mole creaſti,
Condidit aethereos & tua dextra globos:
27 Illi ceu veſtis ſenio tenuata, peribunt;
Neſcius at mortis, Tu ſine fine manes.
28 Mutatus velut interdum renovatur amictus,
Sic mutata illis forma ſuperveniet.
Ipſe manes idem, nullo mutabilis aevo,
Nec tua labendo tempora deficiunt.
29 Servorum tua regna colet ſtirps ſera tuorum,
Omnis & aeterna in ſaecula poſteritas.

(a) Juxta S. Auguſt.

PSALMUS CII.

Benedic, anima mea, Domino, & omnia &c.

Exponit beneficia Dei erga electos, & ad ejus bonitatem laudandam ſeſe excitat.

1 DIc laudes, anime o, precor, merenti
Laudes dic, anime, optimo Tonanti;
Quin cor, viſcera, & intimae medullae,
Et quidquid penitus latet repoſtum
Intra me, Illius inclytum celebret
Nomen, Nomen amabile, atque Sanctum.
2 Dic laudes, anime: heu quid heu moraris?
Noli tot benefacta, totque dona,
Quibus te cumulavit, uſque & uſque
Et nova adjiciens, & ampliora,
Delere ex animo, & pati ſepulta.
3 Culpis Ille tot improbeque factis
Tuis ſe facilem, piumque praebet;
Morbos Ille tuos fovet ſalubri,
Et lenit medicamine, & latentem
Arcet viſceribus, fugatque peſtem;
4 Ille te per iter tenebricoſum
Pallentes vetuit ſubire Manes,
Orci faucibus erutum rapacis;
Ille incredibili benignitate
Et ſumma pietate, dimicanti
Aeternas tibi praeparat coronas,
5 Et deſiderium tuum omne cunctis;

Quae mentem ſatient, bonis abunde
Implebit, nihil ut ſuperſit ultra
Optandum, nihil & tibi expetendum.
Quin pennas aquila ut vetus novare,
Florentem induere & ſolet juventam,
Vires tu quoque ſic tuas novabis,
Et non deciduam indues juventam.
6 Haec Dei pietas, benignitaſque
Praebebit tibi munera, Ille mitis,
Et clemens Dominus, bonaeque cauſae
Judex optimus, ut malis inique
Oppreſſos tueatur innocentes.
7 Leges Ille ſuas, ſuaeque ſancta
Mentis conſilia optimo bonorum
Moſi ſcire dedit, bonique Iacob
Dilectae ſoboli, quid ipſe vellet,
Teſtatum ſatis, ac ſuper reliquit.
8 Mitis Ille animi, bonus, benignus,
Et multum patiens, piuſque multum,
Si noſtris vitiis parumper iras
Accendi patitur,
9 Tamen perennes
Manere haud patitur ſuos furores,
Nec ſemper ſtrepitu gravi minarum
Tonans, exanimat metu miſellos,
10 Nec nos promeritis premit flagellis,
Poenam aut flagitiis parem rependit.
11 Quantum ſe aeterei levant in altum
Orbes, deprimiturque ad ima tellus,
Tantum Ejus pietas in alta tendit,
Atque hoc firmior, ampliorque creſcit,
Quo quiſquam metuit magis minantem.

12 Quam longe occiduis remotus oris
Diſtat Sol oriens, procul repellit
A nobis, removetque quidquid uſquam
Eſt adhuc male, turpiterque factum.
13 Ut natos genitor bonus, piusque
Peccantes miſeratur, ac remittit
Armatas rigido manus flagello,
Sic culpis hominum ſui timentum,
Quas natura parum imbecilla cavit;
Rex Divum veniam dedit miſertus.
14 Novit, quam fragili luto, & caduco
Noſtra eſt ficta caro, ſubitque menti,
Nos nihil, niſi pulverem, fuiſſe.
Foeni eſt vita hominum virentis inſtar;
Ut flos in medio renidet agro,
Sed mox deciduis comis relanguet,
Sic florent hominis dies fugaces;
15 Et vitae inſtabilis volucris aura
Labitur rapido citata curſu,
Et nunquam remoratur, & priorem
Ad locum remeare neſcit unquam.
16 At Dei pietas perennis omni
Semper extitit aevo, eritque ſemper,
Si quis hunc colere, ac timere curet.
17 Quin & juſtitiae, ac fidelitatis
Ejus pignora ſentiet propago
Bono ſemine procreata, & inde
Omnis poſteritas futura, ſervet
18 Modo ut foedera cum Tonante pacta,
Atque alte memori repoſta mente
Ejus juſſa revolvat, & fideli
Illa mox ſtudio exequi laboret.
19 Nam ſedem ſibi in arduo locavit

Caeli vertice, proſpicitque cuncta
Factorum Deus aeſtimator aequus:
Et gentes dominatus inde in omnes
Terras imperio regit potenti.
20 At vos, Caelicolae, optimo Tonanti
Laudem dicite, quotquot eſtis, omnes
Virtute eximii, atque praepotentes,
Ejus juſſa faceſſere expediti,
Ut vox attigit imperantis aures;
21 Laudem dicite, quotquot eſtis, omnes,
Virtutis Superae, Dei adminiſtrae,
Quae praeſto imperiis adeſtis, atque
Promptae perficitis quod Ille juſſit.
22 Vos Divinae opera univerſa Dextrae,
Vos veſtrum celebrate Conditorem,
Per quotquot dominatur Ille terras;
Tuque dic, anime o precor, merenti
Laudes dic, anime, optimo Tonanti.

PSALMUS CIII.

Benedic, anima mea, Domino; Domine Deus &c.

Docet Divinam laudare potentiam, ſapientiam, providentiam ex rerum creatarum diſpoſitione.

1 DIc, Anime, aeterno laudes, & carmina Regi:
Plus nimio Te, Sancte Parens, praeſtantia magnum
Facta probant;
2 Tua Te totum praeconia cingunt.

Te veſtit decor ipſe tuus, Te lux tua totum
Ambit, & in clamydem nativo purpurat oſtro.
3 Tu ſuperos orbes, vaſtaeque volumina molis
Imperio extendis, lato ceu bellica campo
Explicat expanſa miles tentoria pelle;
Tu ſuper aethereas oras, convexaque Caeli
Condis aquas; volucres texunt Tibi nubila currus,
Et rapidas junctis ſubmittunt curribus alas
Quadrijuges venti, curſuque per ardua tendunt,
Froenaque concutiunt, & quas moliris, habenas.
4 It lateri agglomerata cohors Caeleſtis, ad omnes
Quae gnava apparet nutus, ac juſſa faceſſit (a)
Ocyus, aeriis volitant quam flamina campis,
Aut ſerpit quam flamma vorax, tardataque nullis
Objicibus, partes victrix diſcurrit in omnes.
5 Per Te firma manet nullo fundamine tellus
Ponderibus librata ſuis, & tempore nullo
Inclinanda, ſuos current dum ſaecula in orbes;
6 Huic ſuper incumbunt, adopertamque undique cingunt,
Et ſuper abruptos, excelſa cacumina, montes
Expatiantur aquae;
7 Tremefactae aſt inde recedunt
Voce tua, ac, veluti tonitrus reboante fragore,
Diverſae paſſim fugiunt, pavidaeque reſidunt.
8 Tum celſi aſſurgunt montes, campique patenti
Aequore ſubſidunt, & quos Tu cunque dediſti,
Cuncta tenent ſortita locos;
9 Tu quippe tumentes
Imperio compeſcis aquas, & limite clauſas,
Quem tranſire nefas, obluctanteſque coerces,
Ne

(a) Ita Diony. Hier. Theod. Euth. Vid. Bellar., & Tirin.

Ne rurſus merſas involvant gurgite terras.
10 Tu riguos nutu fontes convallibus imis
Elicis, & ruptis mandas prorepere rivos
Montibus, obliquis anfractibus erumpentes;
11 Inde ſerae, pecudeſque bibunt, onagrique rudentes
Decurrente ſitim gaudent reſtinguere lympha.
12 Propter eam pictae quaerunt ſibi certa volucres
Hoſpitia, & nidos fingunt in rupe cavata,
Et tacitas mulcent arguto carmine ſylvas.
13 At ſuper aerios montes, eductaque Caelo
Culmina deciduos demittis nubibus imbres,
Unde rigetur humus ſitiens, & munere large
Exaturata tuo, gleba ferat ubere fructum;
14 Inde parata virent jumentis pabula, foenum,
Inde olus omne, herbaeque humanis uſibus aptae;
15 Inde ſeges, gravidae fruges, & mitia vina
Dilutura graves hominum de pectore curas;
Inde oleum, facies quo ſplendeat unctior, inde
Laeta Ceres, feſſas revocans in corpora vires.
16 Quin ipſae irrigua gaudent aſpergine plantae,
Et melius Libani frondent in vertice cedri,
17 Quas Deus ipſe, hominum non ulla induſtria ſevit;
Illis & nidos, & fida cubilia ponunt
Arboribus volucres;
18 Verum altior ardea [a] cunctis
Majora in ſummo ſibi tecta cacumine figit,
Dux avium, & pura per ſudum veſcitur aura;
Per montes fugiunt pavidi, jugaque ardua cervi,
Petraque contractos latebris abſcondit echinos.
19 Ille Opifex rerum momentis omnia certis
Diſpoſuit; noctis ſignat data tempora Luna,

 Et

(a) Ἐρωδιὸς Plin. eſt ardea; aliis ciconia, aliis fulica.

Et Sol occiduas deſcendere novit in undas.
20 Tu tenebras Coelo inducis, nox humida circum
Funditur, & furvis terram complectitur alis:
Antra ferae paſſim linquunt, ſaltuſque pererrant
Huc illuc diſcurrentes, perque arva vagantes.
21 Dat ſtimulata fame, praedaeque cupidine capta
Rugitus fulvi ſoboles generoſa Leonis,
Sortitoque datas eſcas exquirere geſtit
Impatiens;
22 Primo cum Sol proſpexerit ortu,
In ſylvas coeunt, & nota cubilia rurſus
Diverſae repetunt.
23 Stratis tunc mane relictis
Prodit homo, & ſolitos gnavus renovare labores
Exercetque diem, & magno conamine nitens
Urget opus, ſeras dum provehat Heſperus horas,
24 Quantus es, & quantis tua ſumma potentia factis.
Rex Divine, patet! ſapienti cuncta creaſti
Conſilio, paſſimque tuo de munere tellus
Plena viget, tua ſunt, totus quae continet orbis;
25 Hi tractus maris ingentes, quod brachia longo
Margine terrarum, & ſinuoſas porrigit undas,
26 Innumerique illic piſces, & miſta puſillis
Corpora magna, novae facies, & grandia cete;
Nedum illic celeres findunt vada ſalſa carinae,
Verum etiam immanis, puppique oneroſior omni
Caerula quae vaſta Balena per aequora mole
Ludit, & exultim ponto fera corpora jactat.
27 Scilicet haec etiam pelagi gens humida ſolum
Te ſpectat, tribuas ut convenientia certis
28 Pabula temporibus, quae Te mox dante parata
Colliget. Ut plenam reſeras ad munera dextram,
Cun-

Cuncta vigent, propriiſquae bonis ſatiata fruuntur;
29 Sin autem faciem avertas, incerta ferentur
Abſceſſu turbata tuo; Tu munera vitae
Eripies, omnique ſtatim defecta vigore
Natalem in cinerem, rupta compage, redibunt.
30 Cumque iterum Tu vitales afflaveris auras,
En iterum plenis repunt animalia terris,
Et genus inſtaurant, & dulcia pignora gignunt,
Et reparat faciem tellus renovata priorem.
31 Gloria perpetuum vigeat Divina per aevum,
Et Deus ipſe oculis opera admiranda recenſens
Gaudeat, & dextrae ſibi plaudat honore potentis;
32 Ille Deus, qui terram oculo ſi ſpectet acerbo,
Protinus illa tremens utroque a cardine nutat;
Si digito attingat montes, mora nulla, favillas
Eructant montes, & toto vertice fumant.
33 Ergo Deo laudes recinam, dum vita manebit,
Illius & noſtrae reſonabunt Nomine chordae.
Illum voce canam, dum ſpiritus hos reget artus.
34 Atque utinam placeant ipſi mea carmina! Certe
Ipſe meum ſolamen erit, mea ſola voluptas,
Deliciaeque meae, meaque omnia gaudia ſolus.
35 At ſi quis furiis animi ſtimulatus iniqui
Detrectet laudes Domini, ac praecepta recuſet,
Terra illi fruges, afflatus deneget aer,
Nominis infandi veſtigia nulla ſuperſint.
Tu vero, Divinus Amor quem molliter urit,
Dic, anime, aeterno laudes, & carmina Regi.

PSALMUS CIV.

Confitemini Domino, & invocate &c.

Narrat beneficia populo Dei praeſtita.

1 LAudibus exornate Deum, Nomenque vocate,
Et magna nuntiate facta terris.
2 Carmina Ei reſonent, & pulſae pectine chordae,
Et quae peregit mira, praedicate;
3 Illius ornato de Nomine quaerite laudem;
Laetetur, Illum quiſquis optat unum.
4 Quaerite corde Deum, nec vos ea cura fatiget,
Ejuſque vultum quaerite uſque, & uſque;
5 Et memori verſate animo, quae mira patravit
Portenta, quales condiditque leges.
6 Vos Abrahae genus, & gens Illi obnoxia, voſque
Prognati Jacob, gens & Illi amica.
7 Hic Deus eſt, quem nos Coelo regnare fatemur,
Deque univerſa judicare terra.
8 Ipſe ſui memor uſque fuit per ſaecula pacti,
Verbique, quo omni ſe obligavit aevo,
9 Quod cum Abraham quondam pepigit, juravit & Iſac,
10 Mox Iſraeli fore ratum ſpopondit:
11 Jura tibi, dicens, tribuam Cananitidos orae,
Haereditatis ut tuis relictae,
12 Parvus erant illi numerus, terramque beatam
Vix advenae, ac pauciſſimi tenebant.
13 Mox aliam ex alia gentem profugi peragrarunt (a),
Regnumque ab altero alterum immigrarunt;

(a) Abraham Gen. 12. & 20. Iſaac. 26. Jacob. 30. & 31.

14 At nulla eſt paſſus fugitivis damna creari,
Vetuitque, reges increpans, nocere (a):
15 Parcite ſacratos homines mihi tangere dixit,
Meoſque Vates laedere abſtinete.
16 Ingruit atra fames, terram & bacchata per omnem (b)
Frumenti ubique quod fuit, voravit;
17 Praemiſit Deus ipſe Virum, ſolamen egenis,
Venundatuſque ſervus eſt Joſeph.
18 Illius indigna ſonuerunt compede crura,
Ferrique pondus anxium gravavit,
Acciperent dum dicta fidem;
19 Nam afflaverat illum
Divina vox, accenderatque mentem.
20 Tum Rex innocuo crudelia vincla reſolvit,
Et liberum permiſit ultro abire;
21 Regalemque domum mandavit deinde regendam,
Rerumque fecit arbitrum ſuarum,
22 Ad ſua quo regni proceres exempla doceret,
Senes & ad prudentiam erudiret;
23 Tunc Pharias ſenior terras intravit Jacob,
Novuſque Chami haeſit plagis colonus;
24 Tunc numero Iſacidae crevere, ac viribus aucti,
Ipſis ut hoſtibus magis valerent.
25 Converſis arſere animis odia improba vulgo,
Deique ſervis mox dolos pararunt.
26 Miſit at Ipſe ſuum tanto in diſcrimine Moſen,
Eique Aronem junxit adminiſtrum.
27 Illis ſigna dedit, portentaque mira patrare,
Aegypto in omni, Chamiaque terra.
28 Condidit inductis late Caelum omne tenebris (c),
Implente Moſe, quidquid Ipſe juſſit.

(a) Pharaonem Gen. 12. 17. & Abimelech Gen. 20. 3.
(b) Gen. 37.
(c) Vid. Bellar.

29 Flumina volverunt atrum polluta cruorem;
Suiſque in undis occidere piſces;
30 Informes terram ranae ſcatuere per omnem,
Et ipſa pervaſere tecta regum;
31 Dixit, & infeſtae complerunt aera muſcae,
Cunctiſque ciniphes angulis volarunt;
32 Impete nunc vaſto caelo ruit horrida grando,
Nunc fertiles aduſſit ignis agros;
33 Vinea, decuſſo & caruit ficulnea fructu,
Et ligna edaci ſunt vorata flamma;
34 Dixit, & innumerae campis ſaliere locuſtae,
Eruca ſpiſſis & frequens catervis,
35 Atque omne abſumpſit per prata virentia foenum,
Omneſque terrae devoravit herbas.
36 Pignora percuſſit letho primo edita partu,
Primoſque fructus irriti laboris;
37 Argentoque ſuos, auroque eduxit onuſtos,
Fuit nec ullus morbus, ullus aeger.
38 Illis Aegyptus ſecum eſt laetata profectis,
Inceſſerat formido tanta pectus;
39 Praemiſitque ducem picea de nube columnam,
Ignemque nocte praenitere juſſit.
40 Cum petiere eſcas, venit demiſſa coturnix,
Fameſque caeleſti dape eſt repulſa:
41 Diſrupit petram, latices ſcatuere liquentes,
Soloque ierunt arido fluenta:
42 Fixus enim ſermo Divina in mente manebat,
Quem ſervum ad Abraham fecerat fidelem.
43 Sic Phariis populum terris eduxit ovantem,
Gentemque lectam multa geſtientem.
44 His laetas populorum oras permiſit habendas,
Et exterarum gentium labores,

45 Il-

45 Illius ut ſtudio ſervent praeſcripta fideli,
Ejuſque legem mente pervolutent.

PSALMUS CV.

Confitemini Domino, quoniam bonus 1. &c.

Judaei Babylone captivi Dei miſericordiam implorant, ſuam, patrumque improbitatem, animumque ſemper beneficiorum immemorem confitentes, & pietate, quam toties experti fuerant, unice freti.

1 GRates referte liberali Numini,
Quo cogitari melius haud quicquam poteſt,
Cujuſque in aevum permanet clementia.
2 Sed quis Dei fando explicet potentiam,
Omneſque laudes hominum ad aures perferat
Non ea mihi vis, mentis aut integritas.
3 Beatus aequum quiſquis, ac bonum colit,
Et facta rectam ſingula ad normam exigit!
In hujus ore digna laus Deo ſonat;
Dei invocare nos decet clementiam.
4 Noſtri memento, quoque gentem proſequi
Tuam ſoles amore, nos complectere.
5 Ut intueri detur illa, quae tuis
Paraſti amicis, & gregi electo, bona;
Communibuſque indulgeamus gaudiis,
Perennibuſque Te efferamus laudibus,
Et quem dicaſti proprium Tibi, gregem.

6 Cul-

6 Culpis parentum nos novas adjecimus,
Tuaſque leges, atque juſſa ſolvimus,
Manuſque multo crimine inquinavimus.
7 Aegyptiis cum cederent e finibus
Noſtri parentes, mira, quae patraveras,
Portenta non diſpicere noverunt ſatis,
Oblivioſo & excidere pectore,
Quae Tu dediſti ſigna tot clementiae;
Rubrique propter ipſa ponti littora,
Interfluenti cum propinquarent mari,
Te exaſperarunt corda dejecti metu,
Tantoque, tam bonoque diffiſi Deo.
8 Sui ſed Ipſe Nominis pro gloria
Fuit ſalutis auctor immerentibus,
Suam palam quo oſtenderet potentiam.
9 Undis tumens, minaxque ut increpuit mare,
Statim pavens receſſit, atque exaruit.
Sui per profundas fluctuum voragines
Tranſduxit illos, ceu per arentes vias,
10 Et liberatos hoſtium de faucibus
Salvos abire juſſit, & tyrannidis
Jugum ſuperbae depulit cervicibus.
11 Mox perſequentes pontus hoſtes obruit,
Tantaeque cladis nec remanſit nuncius.
12 Veracibus tum credidere vocibus,
Deique laudes ſuſtulerunt carmine.
13 Sed haec cito fuere: Tanta Numinis
Oblivioni tradidere munera,
Nec explicari tota providentiae
Sivere coepta, ſummi & orſa conſilî,
Ad deſtinatum dum venirent exitum.
14 Cum per remota tenderent iter loca,

Stul-

Stultae obſecuti plurimum cupidini
Optata petierunt ſibi illico dari,
Nil veriti in arenti Dei potentiam
Tentare ſolitudine;
15 Et tamen dedit.
Eis petita, ventris & libidinem
Explevit eſcis ad gulae faſtidium.
16 Dein Moſis iras concitarunt jurgiis (a)
Caſtris in ipſis; non Aaron infulae
Texere, dignitatis aut inſignia,
Quin impiis inceſſerent ipſum probris.
17 Statim profundo terra hiatu ſcinditur,
Dathanque perduellem, & Abiron vorat,
Et quae ſceleſtum turba ſtipabat latus;
18 Exarſit ignis, & manum rebellium
Invaſit omnem; flamma ſtridens volvitur,
Ardentibuſque corripit ſontes globis.
19 Mox & juvencum condidere fuſilem
Prope ipſa Horebi ſacra montis culmina,
Et obtulere thura ſigno ſculptili;
20 Deumque verum, gloriam ac decus ſuum,
Mutare non ſunt veriti inani imagine
Turpis juvenci, foenum, & herbas paſcere,
Aſſueti, & immugire opacis vallibus;
21 Deum at ſalutis vindicem (proh dedecus!)
22 Qui tot Canopo, ac tanta prodigia edidit,
Qui mira fecit omne per Chami ſolum,
Qui clade atroci rubra complevit freta,
Oblivione obliterarunt impia.
23 Tantas Deus non jam ferens injurias,
Eſt funditus minatus illos perdere;

Fe-

(a) Numer. 16.

Feciſſet ac profecto, ni in diſcrimine
Tanto ſequeſter ante juſtum vindicem
Moſes amicus ſummus, ac fidus Deo
Stetiſſet, iram ut imminentem averteret,
Tanta rebelles ne ruina involveret.
24 Nec pervicax hic conſtitit vecordia:
Auſi beatas ſunt plagas contemnere [a]
Lactis ſcatentes, atque mellis copia,
25 Verbis nec adhibuere Divinis fidem,
Obmurmurantes in ſuis tentoriis,
Deique juſſis abnegantes obſequi.
26 Armatam in illos enſe fulmineo manum
Erexit ultor, certus omnes ſternere
Ignota per deſerta, & arentes plagas,
27 Semenque pravum diſſipare, ac gentibus
Miſtum profanis, exteriſque finibus
Extorre, egens, inglorium diſperdere.
Nova hic vetuſtis addidere crimina,
28 Et accolarum gentium contagio
Foedis initiati ſacris Beelphegor
Abominandis victimarum carnibus
Se polluerunt, quas Diis inanibus
Devoverant, vitaeque caſſis lumine,
29 Deum execratis provocantes ritibus.
Tum multiplex ruina, ſtrages plurima [b];
Multi interempti principes ſuſpendio.
30 Sed Phinees furore juſto concitus
Contra ſceleſtos acer ultor conſtitit,
Mucrone ſtricto, & caede in impia pius
Iras Dei placavit, & clades ſtetit.

31 Stu-

(a) Numer. 13.
(b) Numer. 25.

31 Studio aequitatis id peractum, judice
Caelo, eſt putatum, ſemper & putabitur,
Mortale dum proſeminabitur genus.
32 En rurſus itur in tumultus, & Dei (a)
Odia excitant ſopita, aquae ob penuriam
Ad jurgia incitati; Id habuit anxium
33 Moſen; miſer confectus aegritudine,
Veſana iniqua mente verba pertulit.
34 Ad haec diſerte eis Deus praeceperat (b),
Gentes ut omnes funditus diſperderent (c);
Nec paruere talibus dictis tamen,
Nec perdiderunt quos Deus mandaverat.
35 Quin & profanis inquilini gentibus
36 Seſe inſtitutis imbuerunt turpibus,
Signiſque earum ſerviere inanibus,
Quae res malorum ſemen, ac ſeges fuit.
37 Tunc immolarunt filios, ac filias
Diti Sacratas, atque Averno victimas;
38 Et innocenti polluerunt ſanguine
Aras nefandas, interemptis liberis,
Quos Chananaeis immolaverunt Diis,
39 Telluſque rubuit inquinata caedibus,
Et impiorum obſcoenitate rituum;
Sic, conjugalem quaſi thorum qui pulluunt,
Fidem obligatam prodidere Numini,
Commenta amantes perſequi nefaria.
40 Actus furore tunc ſuis ſuccenſuit
Divinus Ultor, gentem amicam reſpuens,
Haereditatem abominatus & ſuam;
41 Tum barbaris addixit illos gentibus,

Ma-

(a) Numer. 20.
(b) Deuter. 7. Jud. 2.
(c) Vide Bellar.

Manuſque vinctos in feroces tradidit;
Victoribuſque ſubdiderunt hoſtibus
42 Proterva colla, qui per inſolentiam
Eis labores intulere plurimos;
Victique ſuerunt hoſte ſub duriſſimo
Mentis ſuperbae flectere arrogantiam.
43 Ex impotentum ſaepe victorum manu
Hos liberavit. Sed quid inde? Audacibus
Factis ad iram concitaverunt Deum
Rurſus rebelles, rurſus & rebellium
Frontes retuſae ſunt in ipſo crimine.
44 Demum gravatos ſub laborum pondere (a)
Reſpexit Ille, & ore jam ſedatior
Voces dolentum ſupplices exaudiit;
45 Rurſuſque pactum venit in mentem vetus,
Pietaſque mire tanta pectus perculit,
Ut poeniteret pene de merentibus
Sumpſiſſe poenas.
46 Uſus indulgentia
Hos ſublevavit in malis, ſpectantibus,
Mirantibuſque, qui modo illos ceperant.
47 Jam perge porro ſoſpites ſerva Deus,
Sparſoſque tot per nationes barbaras
Sedes in unas parte ab omni congrega,
Grates agamus ut potenti Nomini,
Tuiſque laeti gloriemur laudibus.
48 Deo Iſraelis ſit perennis gloria
Ab uſque primis ſaeculis ad ultima;
Dicatque junctis populus omnis vocibus:
Eveniat, haec o vota fortunet Deus.

PSAL-

(a) Exod. 3.

PSALMUS CVI.

Confitemini Domino quoniam bonus. 2. &c.

Judaeos adhortans, ut Deo gratias agant, multis malis liberati, ac beneficiis affecti, ampliora in nos collata deſignat, quae ad animae ſalutem pertinent.

1 DIcite io laudes Domino; namque optimus Ipſe eſt,
Et pietas manet Ejus in aevum;
2 Dicat turba frequens Illo eripiente, recepta
Ex hoſtis ditione ſuperbi,
Et quos diverſa paſſim regione vagantes
Nunc ſedem revocavit in unam,
3 Unde oritur Titan, ubi currus mergit anhelos,
Qua Boreas, qua ſpirat & Auſter.
4 Errarunt ſolis profugi, atque arentibus arvis,
Nec certum invenere receptum;
5 Dira fames feſſos, ardens ſitis hauſerat artus,
Jamque exanguia membra jacebant:
6 Ad Dominum in duris clamarunt caſibus; Ille
In rebus ſubvenit egenis;
7 Recta deinde via certam deduxit ad Urbem,
Et fida ſtatione locavit.
8 Ergo Deum laudet Pietas ſua, miraque dona,
Queis mortale genus cumulavit.
9 Oblatis namque Ille cibis jejunia pavit,
Optataque famem expulit eſca.

R 10 Car-

10 Carceris in tenebris clauſi, ac paedore ſedebant,
Atque inopes pede vincla trahebant,
11 Quod Domini verbis auſi obtrectare fuiſſent,
Conſiliumque Dei dare peſſum;
12 Corda ſed aerumnis ceſſere audacia: fracti
Ecce jacent, ſpes nulla ſalutis.
13 Ad Dominum in duris clamarunt caſibus; Ille
In rebus ſubvenit egenis;
14 Eduxit tenebris clauſos, & carceris umbra,
Et manicas, & vincula rupit.
15 Ergo Deum laudet Pietas ſua, miraque dona,
Queis mortale genus cumulavit.
16 Ferratos poſtes, vecteſque refregit ahenos,
Carceris atri clauſtra revellit.
17 Emerſos vitiis, pravoque e calle reductos
Eſt gremio complexus amico;
Nam ſcelera aerumnas illis peperere, maliſque
Dejecere ſolo exanimatos.
18 Expavere cibos ſtomachi faſtidia laſſi;
Jam prope erant nigra oſtia Lethi (a):
19 Ad Dominum in duris clamarunt caſibus: Ille
In rebus ſubvenit egenis.
20 Reddidit aegrotis operoſa Voce ſalutem,
Eduxitque e faucibus Orci.
21 Ergo Deum laudet Pietas ſua, miraque dona,
Queis mortale genus cumulavit.
22 Olli ſacra ferant, meritae & libamina laudis,
Atque hilares facta inclyta vulgent.
23 Qui pelagi inductis findunt vada ſalſa carinis,
Atque in gurgite multa laborant,
24 Hi Domini aſpiciunt opera admiranda potentis,
Quae medio facit Ille profundo.

(a) Forte cum a ſerpentibus ignitis admorſi aegrotarent. Num. 21.

25 Dixit; & en actae vento ſonuere procellae,
En tolluntur in aera fluctus,
26 Sydera nunc feriunt, nunc Tartara ad ima dehiſcunt,
Frigida torpent corda pavore,
27 Turbatis titubant animis, velut ebrius; omne
Languet conſilium, ars deficit omnis.
28 Ad Dominum in duris clamarunt caſibus; Ille
In rebus ſubvenit egenis.
29 Horrida tempeſtas placidam ſe vertit in auram,
Et fluctus ſiluere frementes.
30 Laetitia exoritur, pelago languente; petitum
Jam portum tetigere carinae.
31 Ergo Deum laudet Pietas ſua, miraque dona,
Queis mortale genus cumulavit.
32 Cuncta Illum laudet plebs una in ſede coacta,
Et proceres, patrumque Senatus.
Cum libuit, rerumque vices, & fata novavit,
Cuncta loco, cuncta ordine movit.
33 Flumina ſiccavit, riguiſque ſcatentia rivis
Arva in ſiccas vertit arenas;
34 Frugiferoque ſolo ſalſugo inolevit amara
Ob ſcelera importuna colentum.
35 Deſertis at ſtagna locis induxit aquarum,
Et ſcatebras arentibus arvis.
36 Compulit huc inopes, magnas & condidit urbes,
In quibus illi tecta tenerent:
37 Severunt agros, junxerunt vitibus ulmos,
Et ſobolem, foetuſque crearunt;
38 Aſpirante Deo, numero crevere frequenti,
Et foetura greges ſupplevit;
39 Mox iterum ad paucos rediere, urgente malorum
Pondere contriti, atque dolore.

40 Principum honor nullus, quos veri inſcitia vulgo
Ridiculos facit, & malus error;
41 Aſt inopes Deus adjutans paſcitque, fovetque,
Et rebus ſolatur in arctis,
Et laetos auget numeroſa prole penates,
Ceu denſo plenas grege caulas.
42 Haec Juſti aſpicient, ac Caelo gaudia tollent;
Muto aſtabunt ore nocentes.
43 Quis ſapiet, memorique haec alte pectore condet,
Totque Dei pia munera noſcet?

PSALMUS CVII.

Paratum cor meum, Deus &c.

1 *Davidis, ſeu populi Hebraei victoriae praedicuntur, quibus eae ſignificabantur, quas Eccleſia tulit.*

2 AD tuos adſum, Deus, ecce nutus
Obſequens: nullum fugio laborum
Pondus; eſt caſus mihi cor paratum
Ire per omnes.
Otia in laetis agitare rebus
Me jube, aut triſtes tolerare clades;
Voce Te dicam, fidiumque cantu
Sorte in utraque.
3 Surge, mens ardens, mea ſurge plectrum
Gloria, & denis age ſurge nervis
Apta teſtudo: Juvat ante primam
Pſallere lucem.

4 Summe Te cantu, Moderator orbis,
Te feram ſama populos per omnes;
Audient cunctae tua perſonantem
Carmina gentes.
5 Magna ſe Caelo Pietas, & ultra
Provehit, totum tua tranat orbem
Veritas, penna metuente ſolvi
Nubila ſindens.
6 Te decet dignis ſuper aſtra tolli
Laudibus, clemens Deus, atque verax;
Et tua aeternum volitet per omnes
Gloria terras.
7 Vitet ut duros, duce me, labores
Grex tuus, dextram mihi ſoſpitalem
Porrige, & voces placido rogantis
Excipe vultu.
Jam Deus ſortes cecinit futuras
Vate me:
8 Victas ego laetus oras
Dividam, & terrae Samaritis omnes
Partiar urbes.
Valle, qua fixit ſua caſtra Jacob (a),
Limitem ducam;
9 Meus eſt Manaſſes,
Galaad totus meus eſt, meique
Portio regni;
Praeſto adeſt pollens Ephraim, mihique
10 Regius Judas ſua colla ſubdit;
Spes Moab noſtras fovet, arva aratro
Pinguia vertens;
Quin Idumaeis quoque ſigna campis
Inferam Victor: Mea jura poſcunt

(a) Gen. 33.

Exterae gentes, & amica mecum
Foedera jungunt.

11 Quis ſit invictas mihi dux ad arces,
Quiſve Idumaeas penetrare in urbes
Donet, & tantis ſuperare fretos
Viribus hoſtes?

12 Nonne Tu, curam poſuiſſe noſtri
Viſus, aſſurges, velut ante, vindex,
Nilque egens noſtris opibus, nec armis
Signa praeibis?

13 Tu Ducis partes, validique functus
Agminis, caſus prohibe ſiniſtros:
Spes in humanis opibus locatur
Vana ſalutis.

14 Nos Dei freti auxilio geremus
Fortia, & ſeris memoranda ſaeclis;
Ipſe nos auſos agitare bello
Conteret hoſtes.

PSAL.

PSALMUS CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris &c.

1 *Quamvis videatur per modum imprecationis Doeg Judumaei, Achitophel, aliorumque, qui Davidem apud Saulem in invidiam vocaverant, mala praedicere, haec adverſus Judam proditorem, Judaeoſque Chriſti perſecutores dicta accipiuntur.*

2 MEam ſileri ne ſine innocentiam:
Effare; quid taces, Deus?
3 Laxavit ora in me dicacia improbus,
Vaferque fraudes nectere.
Condire dulcis melle linguae hic aſſolet
Latens venenum pectore;
Sermonibuſque felle, & odio perlitis
Innoxium circumlatrat;
Movetque, ceu facto agmine, injuſtiſſima
In immerentem praelia.
4 Amare quem decebat, obtrectat mihi,
Illi precabar dum bona.
5 Odium pro amore, pro bonis refert mala
Humanitatis immemor.
6 Talem Deus, Tu comprime; & illi additus
Durus tyrannus imperet;
Dextraeque ſemper aſtet implacabilis
Cruenta Erymnis cum face.
7 Cum ſe ſeverum ſiſtet ante Judicem,
Damnatus inde prodeat;

Cum fundet humiles ore polluto preces,
Id detur etiam crimini;
8 Paucos dies enumeret; alter munere
Illi abrogato gaudeat;
9 Orbi gemant, parente adempto, filii,
Amiſſo & uxor conjuge;
10 Inſtabilis alias transferatur in plagas
Proles, ciboſque quaeritet,
Et dirutis (a) ejecta de penatibus
Abire cogatur procul;
11 Pecuniae inhians foenerator improbus
Scrutetur abſtruſas opes;
Quod irrito labore comparſit miſer,
Id praeda cedat exteris.
12 Quocunque ſeſe vertat implorans opem,
Sit nullus adjutor malis;
Nemo miſertus audiat ſuſpiria,
Pupilla quae proles trahet;
13 Nati breves intercidant, cum liberis
Nomen parentis occidat;
14 Paterna ſemper refricentur crimina,
Poenas luat dum filius;
Antiqua nullis expientur hoſtiis
Delicta matris impiae;
15 Deo ſed aſtent ſemper, implacabiles
Et ſemper iras aſperent.
16 Nihil ſuperſit de ſceleſtis, nullaque
Vel nominis veſtigia.
Immitis hoc crudelitas animi meret,
Pietatis & cor neſcium.
17 Nam perſecutus pauperem, ac mente anxium,
Morti immerentem tradidit.

(a) Graec. Septuag. De minoſis habitationibus ſuis.

18 Mala ille amavit, ergo ſibi habeat mala,
Bona odit, & careat bonis.
Seſe ipſe cunctis ſtultus infortuniis
Involvit, ac paene induit.
Manabit ima peſtis uſque ad viſcera,
Ceu pluvia terrae infunditur;
Ipſis & illabetur intus oſſibus,
Ceu pinguis inſinuat liquor;
19 Haec ſemper illi, tanquam amictus, haereat,
Ceu zona, praecingat latus.
20 Deus haec rependat iis, mihi qui detrahunt,
Meumque latrant in caput.
21 At Tu rogatus per tuum Nomen, Deus,
Deſcende partes in meas.
Sperare ſuavis hoc jubet pietas tua
Semper parata ſupplici;
22 Me libera mendicum, & omnium indigum,
Cordi medere ſaucio.
23 Ut mobilis declinat umbra veſperi,
Sic vita dilapſa eſt mea;
Hinc inde per diverſa jactatus loca
Nuſquam, ut locuſta, ſubſtiti;
24 Genua labaſcunt languida a jejunio,
Exſucca macreſcit caro.
25 Sum factus hoſti ludus: Afflictum videt,
Et quaſſat irridens caput.
26 Vindex adeſto, Domine; meque ſoſpitem
Fac pro tua clementia.
27 Sciantque cuncti, opus tuae eſſe dexterae,
Quibus laboravi malis.
28 Hoſtes mihi improba ingerent opprobria,
Ornabis at Tu gloria.

Tum

Tum me prementes ſerus inceſſet pudor;
Servus tuus laetabitur.
29 Dicteriis qui me laceſſunt turpibus
Pudore muti torpeant,
Pudore toti contegantur, paenula
Ut conteguntur corpora;
30 Deum ſed ipſe praedicabo laudibus
Coetu in frequenti aſtantium,
31 Quod pauperis dextrae adſtitit, me ſoſpitem
Ut hoſtibus ſubduceret.

PSALMUS CIX.

Dixit Dominus Domino meo &c.

Chriſti Regnum, & Sacerdotium, Divinam ejus generationem, ac praecipuas dotes exprimit.

1 Affatus Dominum ſic Deus eſt meum:
Dextrae, Gnate, meae proximus aſſide,
Hoſtes dum pedibus ſubjiciam tuis
Fractos, ac ſine viribus.
2 Alta ex Arce Sion ſceptra potentiae,
Rex Divine, tuae extendet ad ultimas
Oras Rex Genitor: Nunc domitis age
Victor gentibus impera:
3 Jam princeps fueras prima ab origine,
Cum Virtus tua, cum gloria prodiit;
Te ſancti in medio luminis ex mea
Alvo progenitum edidi,

(Tali

(Tali Te alloquio proſequitur Pater)
Cum nondum nitidum protulerat jubar
Primus purpureo lucifer aethere,
Primamque attulerat diem.

4 Juravitque adeo: (nec, variantibus
Saeclis, polliciti poeniteat ſui)
Eſto perpetuo tempore Pontifex
Ritu Melchiſedech ſacer.

5 Dextrae, Summe Pater, Filius aſſidet;
Jam fert indomitis praelia regibus,
Jamque iras acuit, jamque ſolo dedit
Colla infracta rebellium.

6 Jus cunctis veniet reddere gentibus,
Implebitque hominum fata nocentium
Extremo exitio, plurimaque hoſtium
Ad terram capita atteret.

7 Mortale Ille quidem ingreſſus iter, bibet
Torrente e tumido ſanguineas aquas;
Defunctus miſeris denique caſibus
Ad Caelum caput eriget.

PSAL.

PSALMUS CX.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in conſilio &c.

Dei laudes exequitur, tum quas Hebraei pro tot beneficiis debebant, tum quas Chriſtiani ob majora beneficia debent.

1 TOto pectore debitas
Laudes jure Tibi perſolvam, Deus,
Circumſtante meum latus
Sancto concilio labe carentium,
Et ſtipante frequentia
Ingentis populi.
2 Grandia Numinis
Exiſtunt opera, omnibus,
Quos ſummus ſtatuit Conditor, uſibus
Apta, & compoſita affabre.
3 Laudum materies maxima, & inclyta
Fabri magnificentia,
Rebus mirifice ſplendet in omnibus,
Quas in lumina protulit.
Saeclorumque vices per varias manet
Ejus juſtitiae tenor;
4 Sed quovis monimentum aere perennius,
Admirandaque pignora
Ardentis ſtudii propoſuit ſuis
Clemens, atque pius Pater,

Quod

5 Quod ſeſe obſequio rite colentibus
Caelo pabula miſerit.
Nunquam icti immemorem foederis arguent
Delabentia ſaecula.
6 Quam multa egregiae ſigna potentiae
Oſtendit populo ſuo,
7 Poſſeſſa ut dominis arva ferocibus
Illi mancipio daret.
Rectum eſt judicium, candida veritas,
Quicquid Rex Superum facit;
3 Cunctorumque fide ſunt rata temporum
Quaecunque Ille jubet ſemel;
Conſiſtunt ſolido namque ea pondere,
Jus aequumque quod addidit.
9 Jam miſit, populo detraheret ſuo
Qui ſervilia vincula;
Cum feris ſtatuit condere poſteris
Aeternum nova foedera.
Sancto, ac terribili eſt Nomine praeditus
Sanctus, terribilis Deus.
10 Omnis principium, ac fons ſapientiae
Eſt ſanctus Domini timor.
Doctrinae ratio eſt optima, noverit
Quod quiſque, hoc opere exequi.
Id quiſquis ſtudeat gnaviter aſſequi,
Hujus Fama perennibus
Laudes jam properat tradere ſaeculis.

PSAL-

PSALMUS CXI.

Beatus vir, qui timet Dominum &c.

Viri boni felicitatem deſcribit.

1 FElix, ſalubri qui trepidus metu
Caſta potentem mente colit Deum;
Ejuſque perfeciſſe juſſa
Sedulus impatienter optat.
2 Hic auſpicatis ſub penetralibus
Parvos videbit ludere liberos;
Nam ſancta florebit propago
Muneribus cumulata Caeli.
3 Circumfluentes divitiae domum
Fauſtam beabunt, veraque gloria;
At rebus incorrupta laetis
Integritas Domini manebit.
4 Si tempora atris nubibus horreant,
Dulce in tenebris exoritur jubar;
Nam juſtus, & clemens amica
Luce pium Deus ipſe mulcet.
5 Hinc ille in omnes comis, & improbis
Ignoſcit ultro, & commodat indigo
Petita, ſermoneſque cunctos
Judicio ſapiente condit;
6 Nec dimoveri magnanimae ſtatu
De mentis ulla ſe patitur vice;
7 Poſt fata vivet ſempiternus,
Perque virum volitabit ora;

Non obloquentis dicta procacia
Vulgi timebit; tela licet volent
Infecta lethali veneno,
Innocuum violare parcent.
8 Parata dextro ſidere Numine
Mens eſt; id illi robur, & aes triplex;
Nunquam timebit, dum retuſos
Deſpiciat requietus hoſtes.
9 Gazas egenis commodus erogat
Large profuſas; Quod benefecerit,
Non longa delebit vetuſtas,
Invida nec violabit aetas.
Honore florens, atque opibus potens
Attinget alto ſydera vertice,
Celſiſque ſublimem quadrigis
Gloria non peritura tollet.
10 Videbit, ira ardebit & impius,
Atriſque frendens dentibus, ac fremens
Livore tabeſcet maligno,
Irrita ſed rabies peribit.

PSALMUS CXII.

Laudate pueri Dominum &c.

Hortatur Dei cultores ad ipſum laudandum.

1 LAudes, o Pueri, terrigenum Patri,
Laudes Caelicolum dicite Principi,
Illiuſque verendo
Laudes dicite Nomini.

2 Divino reſonent Nomine tempora,
Quae nunc praetereunt, quaeque dehinc fluent,
Donec ſera rotentur
Aeterno ordine ſaecula.
3 Qua Sol purpureis exoritur rotis,
Qua mox Heſperio gurgite tingitur,
Vox diverſa ſupremum
Nomen laudibus efferat.
4 Cunctis omnipotens gentibus imperat
Terrarum Dominus; fulget amabili
Caeleſtes ſuper orbes
Ejus Gloria lumine.
5 Quis noſtro ſimilis, proximus aut Deo,
Qui ſummo reſidens culmine, Caelites,
6 Mortaleſque catervas
Infra ſe poſitas videt?
7 Coetus Ille inopes ex humili loco
Attollit miſerans, fataque corrigit,
Limoſoque jacentem
Tollit pulvere pauperem;
8 Mox illum Superis ordinibus jubet
Aſcribi, & populi principibus ſui,
Divorumque ſedentem
Sancto in concilio locat.
9 Matrem progenie ſed tumidam ſua
Mox orbam vidua deſerit in domo,
Implentemque penates
Fruſtra queſtubus irritis.

PSALMUS CXIII.

In exitu Iſrael &c.

Decantat mirabilia opera, quae Deus fecit, dum educeret filios Iſrael de Aegypto in Terram promiſſam, ut populum confirmet in veri Dei cultu, & Idolorum execratione.

1 CUm gens Niliacis Iſacidum plagis
Exiret, gravibus libera vinculis,
Jacobique Domus barbara, vindice
Caelo, regna relinqueret,
2 Jam tum ſancta Deo progenies fuit
Gens Judaea, piis dedita ritibus,
Jam tum certa ſuis regna in Abramidis
Caeleſtum tenuit Pater.
3 Ut vidit pelagus, corripuit fugam
Aſpectu pavitans, & vada ſubtrahens;
Jordanes trepidas flumine refluo
Undas in caput impulit;
4 Montes ſubſiliunt, ut petulans ſolet
In campis aries, attoniti metu
Colles exiliunt, ut tener exilit
Agnus prata per herbida.
5 At quae cauſa fugae? quae, Mare, te rapit
Vis, tantuſque timor? Cur refluentibus,
Jordanes, properas fluctibus, & vagum
Ad fontem revocas pedem?

6 Quid vos inſolitis motibus incitat,
Montes, ut celeres ſaltibus arjetes?
Quis, colles trepidi, vos agit impetus,
Laſcivi ut ſobolem gregis?
7 Conſpecti facie territa Numinis
Tellus intremuit; Numinis inclyti,
Quod Jacob coluit, mota perhorruit
Majeſtate ſupercilj.
8 Duris ille Deus rupibus elicit
Fontes, & ſubitos pumicibus lacus;
Ejuſque imperiis vitrea flumina
Sicco proſiliunt ſolo (a).
1 Ne nobis, Deus o Maxime, gloriam,
Nobis immeritum ne tribuas decus;
Solum digna tui gloria Nominis,
Dignum fac vigeat decus.
2 Clareſcat pietas illa vetus, tuis
Et quae pollicitis eſſe ſolet, fides,
Ne forte in populos ſermo eat exteros:
Illorum eſt ubinam Deus?
3 In Caelo Deus eſt noſter, & omnia
Sunt quaecunque animo viſa ſuo, facit;
Nil illum prohibet, nullaque maximae
Fixa eſt meta potentiae.
4 At quae ſacrilegis thuribus impiae
Gentes ſigna colunt, aurea lamina,
Argentique fuit maſſa, in imaginem
Conflata artificis manu.
5 Ore aſtant patulo, muta ſilent tamen,
Stant defixa oculos, nil oculi vident,
6 Non aures ſonitus pulſat inutiles,
Nares olfaciunt nihil;

(a) Hic ſecundum Hebraeos incipit alius pſalmus.

7 Palpandi eſt manibus non data copia,
Immotis pedibus non licet ingredi,
Nec vocis ſtrepitus, claraque murmura
Muto e gutture prodeunt.
8 His fiant ſimiles, qui faciunt Deos,
Quos votis onerent, quique aliquod ſibi
Sperant auxilium talibus ex Deis
Senſu, & mente carentibus.
9 Jacobi at ſoboles freta Deo ſtetit,
Illique ipſe fuit praeſidio Deus;
10 Aronis domui ſpes Deus, & fuit
Ejus praeſidium Deus;
11 Turba omnis Dominum rite colentium
Spem cunctam Domino credidit unico,
Nec fruſtra cecidit, nam fuit unicus
Ipſi praeſidio Deus.
12 Nos ſemper memori pectore conditos
Certo fovit adhuc auxilio Deus;
Noſtrumque in gremium plurima contulit
Larga munera dextera;
Jacobique genus, tum genus editum
Arone innumeris auxit amans bonis,
13 Tum quantum eſt hominum, qui metuunt Deum,
Summus, ſeu foret infimus.
14 Multo voſque adeo munere compleat,
Vos, veſtroque ſatos ſemine liberos,
15 Vos terrae ille Deus conditor, & poli
Multo munere compleat.
16 Ille in ſydereis, quos ſibi condidit,
Caeli verticibus conſpicuus ſedet,
At terreſtre ſolum, quod penitus jacet,
Humano generi dedit.

17 Non Te caſſa, Deus, lumine corpora
Laudant, nec Stygios qui ſubeunt lacus:
18 Nos vita fruimur, nos Tibi plaudimus
Nunc, & ſaecla per omnia.

PSALMUS CXIV.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus &c.

Gravi aliquo malo liberatus Deo gratias agit, & hominis ſalutem aeternam ſitientis, ac tot periculis ſeſe eripi poſtulantis, ſenſa exprimit.

1 AMavi; amantis ſeſe amantior Deus
Precationem exaudiet.
2 Intendit aures quando jam ſuas mihi,
Duro vocabo in tempore.
3 Lethalibus conflictor heu doloribus,
Extrema me pericula
Circumſident, hiantibus ne devorer
Rapacis Orci faucibus.
Malis, doloribuſque victus, talibus
Deum voco clamoribus:
4 Ah libera me, quaeſo. Clemens eſt Deus,
Juſtuſque, ſed clemens magis.
5 Miſeretur ergo, mente ſi quis ſimplici
Se, parvus ut puer, gerat;
6 Namque hos tuetur. Ipſe mente parvulus
Jam nunc ſolutus ſum malis.
7 Convertere, anime, requiem & aſpira ad tuam;
Aſpirat & Deus tibi,

8 Qui morte vitam hanc, lacrymis haec lumina,
Hos arcuit lapſu pedes.
9 Ergo placere ſemper adnitar Deo,
Dum lucis oras incolam.

(a) PSALMUS CXV.

Credidi, propter quod locutus ſum &c.

Suam in Deo fidem in adverſis praeſtitam, ac deinceps praeſtandam praedicat, Dei ope fretus, pro qua ſe gratum fore ſpondet.

10 STat Divina fides animo; proin vera locutus
Ab impiis ſum multa perpeſſus mala.
11 Tunc ego mentis inops, externatuſque dolore
Dixi: Placent mortalibus mendacia.
12 At tot pro meritis, queis me Pater optimus auxit,
Illi referre quid ego poſſim gratiae?
13 Hunc calicem, ſucco teter qui ſpumat amaro,
Mihi ſalutis unde cauſa provenit,
Accipiamque libens, fundumque exhauriam ad imum,
Deumque rebus invocabo in aſperis;
14 Tum Domino memor exolvam ſolemnia vota
Coram frequenti turba Eum colentium.
15 Nec mortem timeam; Nimis eſt pretioſa Deo mors,
Subire pro Illo quam pii ſolent viri.
16 Servus ego, Rex magne, tuus, Deus optime, ſervus
Tuus, tuaque natus ancilla puer.

(a) Apud Hebraeos cum ſuperiore conjungitur.

17 Aſpera rupiſti mihi vincula; Munera laudis
Tibi immolabo, Te vocabo Nomine.
18 Tum Domino memor exſolvam ſolemnia vota
19 Coram frequenti turba Eum colentium,
Qua ſacra Divini conſurgunt atria templi,
Qua media multis, Solyma, ferves civibus.

PSALMUS CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes &c.

Hortatio ad Deum laudandum.

1 LAudes dicite maximo Tonanti,
Gentes undique, quotquot eſtis, omnes;
Illum tollite laudibus frequentes,
Qui cunctas, populi, tenetis oras.
2 Illius Pietas, Benignitaſque
Nos ſervat, reficit, fovet, tuetur,
Magnis pignoribus rata, atque firma;
Tum veri ſtudium, fidelitaſque
Promiſſis manet uſque, & uſque, & ultra
Omne perpetuo manebit aevum.

PSAL-

PSALMUS CXVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus &c. 3.

Cum Arca foederis in Montem Sion reportaretur, vel cum Iſrael poſt captivitatem Babylonicam hoſtes ſuos contriviſſet, David, & populus Dei beneficia canit, ſed illud potiſſimum, quod Chriſtum Eccleſiae caput conſtituerit, tanquam angularem lapidem, qui duos quaſi parietes, unde Eccleſia conſurgit, Judaeos ſcilicet, & Gentiles, conjungeret.

1 PRomite digna Deo, populi, praeconia laudum,
Nam bonus eſt, ejuſque omni Clementia ſaeclo
Permanet:
2 Hoc omnis vox perſonet Iſraelis:
Eſt bonus, Illiuſque omni Clementia ſaeclo
Permanet;
3 Aronis genus inde frequentibus inſtet
Vocibus ingeminans: Bonus eſt; Clementia ſaeclum
Ejus in omne manet;
4 Repetat gens tota colentum
Rite Deum: Bonus eſt ter, & amplius; Illius omni
Vivit, & aeternum vivat Clementia ſaeclo.
5 Nempe ego cum rebus moerens verſarer in arctis,
Voce Deum ſupplex, ac fletibus appellavi:
Audiit orantem Clemens, & aperta reductum
In loca, me anguſtis anfractibus extricavit.

6 Ille mihi auxilio eſt: Quid vis humana minetur,
Quidve paret, nil vel metuo, vel ſcire laboro;
7 Ille mihi auxilio eſt: Cuncti ſtent cominus hoſtes
Viribus inſenſis, cunctos ego deſpicer hoſtes;
8 Praeſtat enim fidiſſe Deo, quam quaerere vanas
Suppetias hominum, & mortali credere vitam;
9 Praeſtat praeſentem a Domino ſperare ſalutem,
Quam ſua Principibus committere, ſeque tuendum.
10 Omnes me circum glomerarunt agmina gentes;
Omnes Divino perculſas Nomine vici;
11 Illae me inſtructis iterum obſedere catervis,
Divinoque iterum proſtratas Nomine fregi.
12 Praelia vi multa inſtaurant, urgentque frequentes,
Ardenteſque animis, quot circum florea rura
Effunduntur apes, aut quantus vepribus ignis
Stridet, & indomitis raptos ardoribus ambit;
Aſt ego Divino munitus Nomine contra
Proceſſi, & multo poenas cum ſanguine ſumpſi.
13 Nec tamen abſiſtunt; magna nituntur opum vi,
Ut ſtantem impellant; verum, pendente ruina,
Jam proclinatum, devexo & pondere pronum
Me Deus excepit, ſuſtentavitque cadentem.
14 Hic virtus, roburque meum, mea gloria; certa
Hoc auctore, ſalus, felix & adorea venit.
15 Inde mihi vitam fremitu gratata receptam
Juſtorum vox, & feſto teſtata fragore
Laetitiam, inſonuit tectis, atque impulit auras.
16 Dextera virtutem exeruit Divina, ſubacto
Dextera me Divina dedit dominarier hoſti;
Dextera virtutem exeruit Divina potentem.
17 Non ego non moriar, vivus, pollenſque, vigenſque
Magna ſalutiferi narrabo geſta Tonantis;

18 Qui

18 Qui licet inflicto me caſtigaverit ictu
Interdum indignans, meque ad meliora reflectens,
Extrema non ſuſtinuit me perdere clade.
19 Auguſtas reſerate fores, ac pervia juſtis
Limina, Cuſtodes;
20 Juvat his ſuccedere tectis,
Et Domino dignas cantu perſolvere grates.
Hac iter eſt; haec porta Dei deducit ad aedes,
Huc gens juſta ſubit;
21 Laudes Tibi, Maxime Divum,
Hic recinam, facili mea vota quod hauſeris aure,
Et dederis per Te parta gaudere ſalute.
22 Ille (vices rerum o verſae!) Lapis (a) ille, ſuperbi
Quem modo ſtructores illuſtria tecta parantes
Detruſere foras, nullis velut uſibus aptum,
En Lapis ille novae faſtigia continet aedis
Parietibus ſuper impoſitus, qua nectit utrumque
Angulus, & geminos junctura copulat una.
23 Hoc Deus hoc fecit: magnum, ac mirabile, noſtri
Quod ſtupeant oculi, grata novitate fruentes.
24 Haec eſt alma dies, quam ſummo adduxit Olympo,
Et ſacram eſſe ſibi voluit, propriamque dicavit
Ipſe Deus; feſta celebremus gaudia luce,
Purior & laetis reſonet concentibus aether.
25 Salve, magne hominum Vindex, Rex optime, ſalve,
Proſpera cuncta refer;
26 Salve (b) qui Nomine miſſus
Divino, ad noſtram venis in tua regna ſalutem.
Haec e ſacrato vobis Myſteria templo
Pandimus, o populi.
27 Nobis Deus ipſe videndum

(a) i. e. Chriſtus.
(b) Hebrae. Oſanna; i. e. Salve.

Se dedit, & clara manifeſtus luce refulſit.
Solemnem celebrate diem, templumque coronis
Cingite, & obtentu ramorum umbrate virentum
Poſteſque, muroſque ſacros extantia ad uſque
Cornua, protendit quo ſe Arae extrema crepido.
28 Es mihi Tu Deus, & grates Tibi jure rependam;
Es mihi Tu Deus, & laudes Tibi carmine dicam,
Teque canam, facili mea vota quod hauſeris aure,
Et per Te parta dederis gaudere ſalute.
29 Promite digna Deo, populi, praeconia laudum,
Nam bonus eſt, Pietaſque omni manet Illius aevo.

PSALMUS CXVIII.

Beati immaculati in via &c.

Encomium Legis Divinae, & hortatio ad eam ſervandam.

1 O Ter felices, omni qui labe carentes,
Ad Domini leges vitam agere inſtituunt,
2 Et memori qui mente Dei praeſcripta volutant,
Et quibus eſt ſolum quaerere cura Deum.
3 At quicunque animum factis corrumpit iniquis,
Excedit rectis, quas docet Ille, viis.
4 Hoc Tibi decretum, Deus, haec tua certa voluntas,
Quae jubeas, multa ſedulitate coli.
5 O utinam noſtrae ſpectent huc denique curae,
Ut moveam certos ad tua juſſa gradus!
6 Tunc ſapiam, tunc me nunquam malus auferet error,
Nota mihi fuerint cum tua dicta ſatis.

7 Jure igitur recto dicam Tibi pectore laudes,
Juſtitiae didici quod ſacra jura tuae.
8 Haec ſervare mihi certa eſt ſententia: Tu me
Ne modo deſtituas, auxiliumque neges.
9 Quiſquis enim primo mores caſtigat ab aevo,
Qui faciat, ſervet ni Tua dicta memor?
10 Te cunctis ſtudui curis exquirere; ne Tu,
Qua tua perficiam juſſa, negaris opem.
11 Illa quidem memori ſub pectore condita ſervo;
Ne quo in Te fiam crimine forte nocens.
12 Sic aeterna tuum comitetur gloria Nomen,
Me, Tibi quae poſſint facta placere, doce.
13 In labiis ſemper tua lex mihi, ſemper in ore,
Uſque tua e noſtro gutture verba ſonant.
14 Legem implere tuam mihi ſumma, & ſola voluptas;
Gaudet ut aggeſtas inter avarus opes.
15 Ergo tua intentus ſemper praecepta faceſſam,
Mente tuas relegam nocte, dieque vias;
16 Sanctam animo legem nunquam ceſſante revolvam;
Nec tua ab immemori pectore verba fluent.
17 Hoc mihi da, revoca moribundum ad lumina vitae;
Inde colam ſancta juſſa verenda fide.
18 Luce nova hanc oculis obductam disjice nubem;
Miraque diſpiciam lege retruſa tua.
19 Inſcius his verſor peregrinus, & advena terris:
Ne me, quae dederis juſſa, latere ſinas.
20 Lex tua votorum ratio eſt, & ſumma meorum;
Hanc cupio quovis tempore plus cupere.
21 Indociles animos damnas: Vae ſontibus, a Te
Quos procul errantes mens maleſana rapit.
22 At mihi dant probro, Tibi quod parere laborem:
Tu dele indignam, quae mihi inuſta, notam.

23 Con-

23 Conſedere viri, coetuſque habuere potentes,
Plurimaque in noſtrum diſſeruere caput;
Aſt ego contempſi coetus, & inania verba,
Et tua mi ſolus juſſa fuere labor.
24 His mens invigilat meditando exercita curis,
Solicito haec verſo pectore conſilia.
25 Haeret iners animus terrae: tellure jacentem
Erige; ſit vitae lex tua norma meae.
26 Me Tibi confeſſum vitae male facta prioris
Audiſti; Nunc quae ſint mihi agenda, doce.
27 Pande viam, quam me ire jubes, virtutis; in illa,
Ut mira eſt, curram, nec labor iſte gravet.
28 Interdum feſſo obrepit torporque, ſoporque:
Eloquii ſtimulos Tu mihi ſubde tui;
29 Fac retraham cautos pravo de tramite greſſus,
Pro pietate tua fac tua jura ſequar.
30 Nam ſtatui veri rectos inſiſtere calles,
Nec memori tua lex excidit ex animo.
31 Hanc ſequor, hanc toto complector pectore: Tu ſpes,
Quam Tibi commiſi, ne ſine vana cadat.
32 Nam quoties animum mihi Numine confirmaſti,
Inceſſi rapido per tua juſſa pede.
33 Praecipe qui legum via ſit calcanda tuarum;
Hoc mihi ſtat vitae carpere ſemper iter.
34 Tu lumen menti praefer, ſcrutabor ego illas
Sedulus, & penitus cordis ad ima premam.
35 Eſto viae mihi dux tua per praecepta volenti
Currere; currere enim per tua juſſa volo.
36 Huc curas converte meas, ſubrepat habendi
Ne ſitis, atque auri non ſatianda fames.
37 Flecte meos oculos, ne vana illudat imago,
Perque tuas alacrem da properare vias;

38 Elo-

38 Eloquiumque tuum famuli ſub pectore conde,
Cui veniat cuſtos ſanctus in oſſa timor.
39 Quod ſi quid titubem, me infamia quanta ſequetur!
Hoc, Deus, hoc aufer, quod timeo, opprobrium.
40 Dulce Tibi ſervire; hoc votis omnibus opto,
Hoc ut perficiam, fer mihi dexter opem.
41 In me deſcendat Pietas tua, pactaque quondam
(Si tua non poſſunt fallere verba) ſalus.
42 Si detur virtus probro, haec reſponſa reponam
Hoſtibus: In verbis ſpem mihi ineſſe Dei.
43 Talia jactanti ne verba ex ore revellas,
Spes etenim dictis ſtat mihi nixa tuis.
44 Hinc tua ſervabo ſtudio decreta fideli
Perpetuos, ſuperet dum mihi vita, dies;
45 Et tua tam cupido praecepta ardore capeſſam,
Lata ut noſter amor ſe putet ire via.
46 De Te me reges ſaepe audivere loquentem,
Libera nec preſſit degener ora pudor.
47 Saepe agitans animo mecum tua dicta peregi,
Quae miro inflammant pectus amore meum.
48 Mox opus aggreſſa eſt, dilectaque juſſa faceſſit
Jucundo nunquam feſſa labore manus.
49 Eſto memor, quae Tu famulo promiſſa dediſti:
Haec faciunt animos, ſpemque timentis alunt.
50 Haec me ſpes aegrum rebus ſolatur in arctis,
Atque tuum vires adjicit alloquium.
51 Inſtant, irriſumque vocant ad prava ſuperbi;
Lege tamen timui devius ire tua.
52 Semper enim menti haec alte defixa tenaci
Haeret, & in cunctis me levat una malis.
53 Deficio, gelidusque artus mihi concutit horror,
Cum video hanc ſtultos deſeruiſſe greges.

54 Haec

54 Haec mihi, quando his errabam peregrinus in oris,
Carmen, & exilii dulce levamen erat.
55 Ipſa tuum referunt noctis mihi ſomnia Nomen,
Imperiiſque tuis advigilare juvat.
56 Idque adeo factum, legum decreta tuarum
Quod fuerint ſtudiis unica meta meis.
57 Omne bonum mihi Tu, Deus, es; ſententia menti
Haec ſedet, ut quidquid juſſeris, ipſe ſequar.
58 Ergo ad Te ſupplex veni, auxiliumque popoſci:
Ah miſerere, tuis vocibus adde fidem.
59 Namque ego dum vitae rationem exquiro regendae,
Verti non dubios ad tua juſſa pedes.
60 Haec ego ſum quovis pacto ſervare paratus,
Nec labor, aut nimium coepta operoſa movent.
61 Ferrea culparum quamvis me vincula nectant,
Non tamen ex animo lex violata cadit.
62 Quin etiam media ſurgo de nocte, Tibique
Grates pro talis munere legis ago.
63 Mecum omnes ſentire reor Te rite colentes,
Cura ſervantes & tua ſcita pari.
64 Si pius es, pietate tua ſi terra redundat,
Pande, Tibi morem qua ratione geram.
65 Accepere fidem tua dicta, Altiſſime Regum;
Mitis es in ſervum nempe, bonuſque tuum.
66 Eſſe bonus per Te diſcam, prudenſque, ſcienſque,
Pondus enim dictis ſum ratus eſſe tuis.
67 Nondum abjectus eram, cum Te, Pater Optime, laeſi;
Hinc didici noſtro cautior eſſe malo.
68 Tu bonus es; Bonitatem oro ſuccurre per iſtam,
Quaeque Tibi placeant, ſemper obire doce.
69 Creſcit adhuc rabies, & vis furioſa ſuperbis;
At ſtudeo monitus corde fovere tuos.

70 Lac veluti tepidum permiſta coagula durant,
Haud aliter vitiis corda proterva rigent;
At mihi cum ſubiit tua lex, meditataque ſedit
Pectore, cor mollit, duritiemque domat.
71 Me quibus exagitas, ſunt infortunia tanti,
Ut vel ſic diſcam, quae facienda jubes.
72 Argenti, atque auri pluſquam defoſſa talentum
Millia multa, mihi lex pretioſa tua eſt.
73 Me finxit tua dextra: Operi ſuccurre, bonamque
Da mentem,ut diſcam,quaeTibi cunque placent;
74 Cultoreſque tui capiant me gaudia viſo,
Quod ſpes promiſſis ſtet mihi certa tuis.
75 Novi ego, ut aequato libres examine lances,
Cauſaque juſta fuit, cur miſer ipſe forem.
76 Nunc pietas tua me foveat, ſoletur & aegrum,
Ut Domini ad nutus omnia ſervus agam.
77 Te mihi redde pium, pariter mihi vita redibit;
Semper enim noſtra lex tua mente ſedet.
78 Diſpudeat temere me divexaſſe ſuperbos,
Noſter erit, quicquid juſſeris, uſque labor.
79 Quotquot Te metuunt, duce me, potiora ſequantur,
Et qui ſermones edidicere tuos.
80 Da puro ſervare tuas mihi pectore leges,
Ne ſerus damnet non bene facta pudor.
81 Saepe animus per Te impatiens ſperare ſalutem
Deficit; at verbo ſpes redit inde tuo.
82 Defecere tuis pendentia lumina verbis:
Quando erit ut mihi opem, dicere viſa, feras?
83 Videris arentem contractis pellibus utrem,
Quem gelida in pratis forte pruina coquit,
Non ſecus exhauſtum me longo areſcere dices
Moerore, oblitum non tua juſſa tamen.

84 Ad

84 Ad mea damna dies quot reſtant? En erit, ut qui
Me vexant, poenas, Te repetente, luant?
85 Vana mihi cecinere homines commenta nocentes;
Non ita me leges erudiere tuae.
86 Hic verum omne latet: dant illi ſubdola fruſtra
Verba mihi; Inſidiis ne opprimar, affer opem.
87 Quam pene ad terram me dejecere loquendo!
Deſerui monitus non tamen ipſe tuos.
88 Per, Tibi quae pietas, vires animumque miniſtra;
Tunc ego, quae ſancto dixeris ore, colam.
89 Verbo extructa tuo Caeli ſtetit ardua moles,
Inque ſua aeternum mobilitate manet;
90 Lege tua ex una ſurgens ſubit altera proles,
Statque tua in tota poſteritate fides;
91 Lege tua vacuo deſedit in aere tellus,
Conſtat & imperiis, ſtabit & uſque tuis;
Lege tua alternae ſuccedunt ordine luces;
Cuncta potens magna ſub ditione premis.
92 Me niſi lex tua fulciret, meditata frequenter,
Pondere (a) corruerem forſitan ipſe meo.
93 Nulla tuas animo evellent oblivia voces:
Illic praeſidium, robur & omne mihi eſt.
94 Sum tuus: Incolumem duris ſubduce periclis;
Unica de juſſis eſt mihi cura tuis.
95 Ut me dejicerent, expectavere nocentes;
Sed tua mi fuerant cognita dicta ſatis.
96 Optima quaeque ſuos vidi contingere fines;
At tua quam lato limite jura patent!
97 Excitat o quantos tua lex mihi, Numen, amores!
Quam volupe eſt totos hanc reputare dies!
98 Hoſtibus inde meis rerum prudentia major
Me regit: Illa oculis praevia ſemper adeſt.

(a) S. Hier. leg. Preſſura.

99 Inde omnes praeeo, qui me docuere, magiſtros:
Ingenium nobis lex meditata facit.
100 Inde feror ſenibus multo ſapientior ipſis,
Quod tua ſcrutari dogmata cura fuit.
101 Nulla per obliquos flexi veſtigia calles,
Ingreſſus recta per tua juſſa via.
102 Ex illa nec tranſverſum diſceſſimus unguem;
Vox tua me in ſancto continet officio.
103 Dulcia quam ſapiunt noſtro praecepta palato!
Dulcia ſunt illis Attica mella minus.
104 Illa meam claro ſparſerunt lumine mentem,
Inde odio, ſcelerum quicquid ubique, mihi eſt.
105 Illa meos nitida praecedunt lampade greſſus,
Suntque per obſcuras praevia taeda vias.
106 Ergo teſtatus ſtatui inviolabile Numen,
Juſtitiae ad normam cuncta referre tuae.
107 Sed premor heu nimia dejectus mole malorum;
Erige me, atque oris fac rata dicta tui;
108 Sint rata, ſponte mea quae ſum facienda profeſſus;
Ut faciam, Tibi quae ſint placitura, doce.
109 Mille objecta patet ſemper mea vita periclis;
At tua nil animo evellere juſſa poteſt.
110 Inſidias, laqueoſque mihi poſuere nocentes;
Suſtinui a placitis nec procul ire tuis.
111 Haec ſunt jure mihi patrimonia parta perenni,
Haec mihi ſunt verae ſemina laetitiae.
112 Haec animum induxi aeternum inviolata tueri,
Quod ſperem ſtudii praemia magna mei.
113 Odi perverſum vulgus, gentemque nefandam,
Mirificoque tuae legis amore flagro.
114 Tu mihi perfugium, Tu caſu adjutor in omni;
Quae mihi ſpes, verbis nititur illa tuis.

115 Ite procul, procul hinc greſſus removete, maligni,
Juſſa Dei ſtudio ſunt recolenda meo.
116 Excipe me, ſic pollicitus, lucemque reviſam;
Ne ſine, ut in celeres ſpes eat iſta notos.
117 Ipſe veni auxilio; poſt victa pericula ſoſpes
Quicquid mente geram, lex tua ſemper erit.
118 Spernis enim, & merito, tua qui decreta refringunt,
Tantum auſi laeva mente agitare nefas.
119 Quod mihi ſunt viſi fas omne abrumpere ſontes,
Inde tuae major legis inarſit amor.
120 Tu penitus ſanctum mihi cordi infige timorem:
Judicii heu timeo jura ſevera tui.
121 Jus ſemper colui, nec vi, nec fraudibus uſus:
Ne delatorum fraudibus objiciar.
122 Crimina neu forte affingant mihi falſa ſuperbi,
Officium famulum [a] dirige ad omne tuum.
123 Lumina deficiunt ſperatae intenta ſaluti,
Promiſſique tui certa videre fidem.
124 Te famulo, qualem tua vult Clementia, praebe,
Meque adeo, qualem juſſeris, eſſe doce.
125 Servus ego Tibi ſum; Tu mentem inſpira, animumque,
Ut praecepta mihi tradita noſſe queam.
126 Tempus adeſt, meritas cogas ut pendere poenas,
Qui leges auſi ſunt violare tuas.
127 Contra ego, pluſquam aurum, ſimilemque topazion auro,
Quae jubeas, pretio quolibet empta velim.
128 Idcirco huc animum, curaſque intendimus omnes,
Odimus & vetiti criminis omne genus.
129 Lex tua res mira eſt, mirum eſt, quodcunque jubetur;
Meque adeo haec alta volvere mente juvat.

130 Haec

(a) Hebr. *dirige* pro *ſuſcipe*.

130 Haec dum aperis, claro mens lumine colluſtratur,
Ante diem & pueris lux, ratioque venit.
131 His inhians, avido duxi auras ore ſalubres,
Mirifico legis captus amore tuae.
132 Aſpice me, quaque in populum tua ſacra colentem
Eſſe ſoles, illa me pietate fove.
133 Tu mea flexanimis veſtigia dirige verbis,
Inque animo regnet nulla libido meo.
134 Nulla mihi officiant hominum, Te vindice, probra,
Exequar amota quin tua juſſa mora.
135 Servum ſparge tuum Divini lumine vultus,
Morigerumque tuis legibus eſſe doce.
136 Nam mea flebilibus manarunt lumina rivis,
Rumpere quod leges auſa fuere tuas.
137 Juſtus es; & juſto diſponens ordine cuncta,
Juſta jubes;
138 Verax, omnia vera doces.
139 Hinc quoties verba oblitos tua conſpicor hoſtes,
Urit atrox animum cura, dolorque meum.
140 Igne velut purgata (a), nitent tua neſcia labis
Eloquia; hinc famulo cara fuere tuo.
141 Parvus ego, & nullis, fateor, majoribus ortus
Sum puer; at legis ſum memor uſque tuae.
142 Juſtitia aeternum conſtat Tibi firma per aevum,
Inque tua verum lege, bonumque latet.
143 Hanc meditor, tantis licet undique deformatus
Aerumnis; curas haec meditata levat.
144 Haec juſta eſt, haec aeterna manet: Tu mentis acumen
Da mihi, ut hanc poſſim diſcere; ſoſpes ero.
145 Ad Te clamores imo de corde cientem
Audi; ut quae doceas, hac ego ſcruter ope.

(a) Hebr. pro *ignitum* habet *Igne examinatum*.

146Clamavi: ſerva miſerum, Pater optime, ſerva;
Ut tua contento juſſa labore colam.
147Praeveni haec iterans Phoebaeae lampadis ortus,
Spes erat in verbis tanta repoſta tuis.
148Ad Te oculos primo vigilans de mane levavi,
Mente tua incumbens totus in eloquia.
149Per pietatem oro, clamorem ſupplicis audi,
Perque fidem, dulci da mihi luce frui.
150Qui me conturbant, ſceleri quanto arctius haerent,
Hoc a lege magis longe abiere tua;
151Tu prope ſemper ades, Tu vel fugientibus inſtas;
Nil, niſi vera jubes, nil, niſi vera probas.
152Cum primum tua jura animo comprendere coepi,
Perpetuo haec novi pondere firma fore.
153Caſus cerne meos, & iniquae ſubtrahe cladi;
Hoc tua lex noſtro in pectore fixa meret.
154Tu cauſam cognoſce meam, tutare ſalutem,
Proque tua vitam Tu mihi redde fide.
155At ſpes nulla malis, ratio, & via nulla ſalutis;
Hoc tua lex tota e pectore lapſa meret.
156Multa Tibi pietas, Deus optime; Redde jacenti
Redde animum, careant nec tua verba fide.
157Magna inſectantum premor, urgentumque caterva,
Nec vis a placitis avocat ulla tuis.
158Quin illos video ſacra jura reſolvere, & angor,
Angor io, atque aegrum culpa aliena facit.
159Aſpice, me quanto tua lex inflammet amore:
Ah tua languentem me recreet pietas.
160Verum dictorum caput eſt, & ſumma tuorum,
Juſtitiae & ratio non peritura tuae.
161In me homines quanquam conjuravere potentes,
Non tamen hi faciunt, ſed tua verba metum.

162 At

162 At tua verba mihi faciunt quoque gaudia, ſicut
Qui ſpolia e victis hoſtibus ampla tulit.
163 Acrius hinc odiis, ſcelus averſatus, inarſi,
Et majore tuae legis amore flagro.
164 Quaeque dies ſeptemgeminas Tibi dicere laudes,
Meque tuis vidit plaudere judiciis.
165 Qui tua jura colunt, pax illis aurea ridet,
Et nihil, offenſam cur vereantur, habent.
166 Inde mihi a Te uno libet expectare ſalutem,
Et tua juſſa ipſis diligo plus oculis.
167 Haec animus nunquam violanda putavit; amabat
Plus ea ſeſe ipſo, aut ſi quid amabilius.
168 Omnia ſervavi, quod Te mihi ſemper adeſſe,
Et tanto ſcirem ſingula teſte geri.
169 Aſcendant mea vota tuas, mitiſſime, ad aures,
Promiſſamque tuae da mihi lucis opem.
170 Excipe pacato, quae deprecor, ore, maliſque
Eripe me, tua ne pondere dicta vacent.
171 Aſt ego tunc grato laudes Tibi carmine pangam,
Cum fuero nutus doctus obire tuos.
172 Tunc tua vulgabo gentes oracla per omnes,
Teque jubere tuis non niſi juſta, canam.
173 Tende manum, meque in mediis tutare periclis;
Certum eſt, quae jubeas omnia, velle ſequi.
174 Te cupio: per Teque data gaudere ſalute,
Et verſare animo quae Tibi cunque placent;
175 Teque adeo laudare, mihi dum vita manebit,
Auxilioque meis lex tua rebus erit.
176 Erravi, fateor, qualis, paſtore relicto,
Devia dumoſis ſaltibus errat ovis;
At ſervum Tu quaere tuum, profugumque reduce;
Non animo penitus lex tua lapſa meo eſt.

Oris peregrinatur ah nimis diu
Haec vita inhoſpitalibus.
4 Mihi alma pacis cum placerent otia,
Odere pacem barbari;
Sermonis & cum quaererem conſortia,
Movere iniqua praelia.

PSALMUS CXX.

Levavi oculos meos in montes &c.

Conſolatur Peregrinos aſcendentes Jeruſalem, ſive intelligat Judaeos adhuc in captivitate degentes, ſive juſtos ad caeleſtem Patriam aſpirantes, perpetuamque Dei cuſtodiam promittit.

INDUCITUR PRIMO LOQUENS

Peregrinus, deinde Propheta.

1 *Peregr.* LUmina in ſummos lacrymoſa montes
Suſtuli, ſanctam ſpeculatus Urbem,
Unde tot nobis veniet malorum
Dulce levamen.
2 Namque opem duris feret Ille rebus,
Aſtra qui finxit, ſtabilemque terram:
Proph. Sic erit prorſus: Peregrine, vanos
Mitte timores.
3 Te per incertos regat Ille calles,
Haud tuos paſſus titubare greſſus;
Nec,

Nec, tibi ſemper vigilans, ſopore
Lumina claudat;
4 Lumina haud claudet reſoluta ſomno,
Qui ſui ſervat genus Iſraelis,
Feſſus & nunquam vigilem remittet
Pectore curam.
5 Te Deus ſervat, tua vita cordi,
Et ſalus illi eſt; latus ille dexter
Ad tuum incedit comes, & ſequaci
Te tegit umbra;
6 Unde nec ſolis, medios per aeſtus,
Lampas ardentis faciem perurat,
Luna nec noctu caput inſalubri
Frigore laedat.
7 Te Deus cunctis procul a periclis
Arcet; & caſus utinam ſiniſtros
Arceat ſemper, tibi tuta ſemper
Vita trahatur!
8 Seu pedes quoquam tuleris, referre
Inde ſeu greſſus libeat, viarum
Haereat ſemper comes Ille eunti,
Seu redeunti.

PSALMUS CXXI.

Laetatus ſum in his, quae dicta &c.

Deſcribit pulchritudinem, & excellentiam Jeruſalem, ad quam reverti optabant, & ſperabant Hebraei, quae ad noſtram de Caeleſti Jeruſalem ſpe referenda ſunt.

1 O Me beatum! quae mihi gaudia
Senſus inundant! o bona nuncia!
Sedes reviſemus paternas,
Et Domini omnipotentis aedem.
2 Laeti recurſant nunc animo dies,
Cum Civitatis moenia liberae
Obivimus tuti, tuiſque
Conſtitimus, Solyme alta, portis (a).
3 Haec illa felix eſt Solyme, omnibus
Communis olim, charaque Civitas,
Sic ordinata, ut cuncti in una
Urbe bonis fruerentur iiſdem.
4 Illuc per annos ter ſtata ſingulos
Ad ſacra multae conveniunt tribus:
Sic lege praeſcriptum Iſraeli,
Rite Deum ut celebrent faventem.
5 Illic daturi jura petentibus
Sedere Reges, Davidis inclyta
De gente creti, patrioque
Imperio, atque opibus potiti.

(a) Hebr. In portis tuis.

6 Pacem ergo, Cives, & bona Patriae
Adjuncta paci cuncta precamini:
Pax, Fauſtitaſque te beata
Soſpitet, & tibi amore junctos;
7 Pax alma muris involitet tuis,
Et laeta cornu divite Copia
Fortunet excelſas potentum
Larga domos, procerumque turres.
8 Amor meorum nonniſi Civium,
Fratrumque, junxit quos mihi charitas,
Pacem precari me ſubegit,
Sancta tibi, Solyme, tuiſque;
9 Et illa ſummo ſacra Domus Deo,
Quae tangit alto nubila culmine,
Ad vota me adduxit, petentem
Cuncta tibi bona provenire.

PSALMUS CXXII.

Ad te levavi oculos meos &c.

Sub imagine Populi a Babyloniis proceribus oppreſſi, hominis juſti injuriam patientis vota exprimit.

1 AD Te lumina ſuſtuli,
Qui Caelorum habitas templa nitentia.
2 Lugens ſervus ut aſſolet
Caedentis domini cernere dexteram,
Uda ut fletibus aſpicit
Sublatum dominae in verbera brachium;

Poenam ancillula deprecans;
Sic noſtri, ingeminans vulnera dum ferit,
Reſpectant oculi Deum,
Iras ſi pietas leniat aſperas.
3 Jam nos mitior aſpice,
Jam noſtri pietas Te moveat, Deus;
Facti nam ſatis heu ſumus
Cunctis ludibrium, & fabula gentibus;
4 Noſtram jam ſatis heu pudor
Infecit faciem, pectus & obruit;
Noſtra heu plus nimio jocus
Vita eſt divitibus, ludus & impiis
Laeta ſorte tumentibus.

PSALMUS CXXIII.

Niſi quia Dominus erat in nobis &c.

Populus Hebraeus gratias agit Deo ob ſuperatas aerumnas, quas in captivitate, vel deinde in Civitatis, & Templi inſtauratione paſſus fuerat; quae conveniunt Eccleſiae poſt perſecutiones.

1 PRaeſente nobiſcum Deus
Niſi fuiſſet Numine,
Ereptus infortunio
2 Nunc dicat omnis Iſrael,
Praeſente nobiſcum Deus
Niſi fuiſſet Numine

3 Cum

3 Cum nos feroces maximo
Gentes furore invaderent,
Vivos hiante forſitan
Abſorbuiſſent gutture;
Cum ſaeva noſtris imminens
Arderet ira cladibus,
4 Forſan profundo gurgite
Merſos malorum turbida
Hauſiſſet unda naufragos.
5 Torrentem ab imbre turgidum
Magno ſupinis impete
Jugis ruentem montium,
Secumque volventem omnia
Sylvae fragore maximo,
Impune tranſnatavimus.
Nobis Deus ſed dextero
Niſi adfuiſſet Numine,
Fortaſſe inenatabiles
Ingreſſi in undas, ultimum
Jam duceremus ſpiritum.
6 Regi ſupremo Caelitum
Summas agamus gratias,
Immanibus furentium
Qui beſtiarum dentibus
Nos eſſe praedam noluit.
7 Ut paſſer e venantium
Vinclis ſolutus evolat,
Sic vita noſtra arctiſſimis
Eſt expedita nexibus:
Confracta ſunt jam vincula,
Nos liberati abivimus.
8 Adjutor adfuit Deus,

Eju-

Ejuſque Nomen inclytum,
Qui templa Caeli altiſſima,
Imaſque terras condidit.

PSALMUS CXXIV.

Qui confidunt in Domino &c.

Hortatur ad fiduciam in Deo collocandam, & in firmitate Urbis Jeruſalem Eccleſiae firmitatem deſignat.

1 QUicunque dextro Numine nititur,
Nullis movetur caſibus aſperis,
Vertex ut immotus Sionis
Vim Boreae, furiaſque ridet;
2 Stat omne in aevum, qui Solymae incolit
Vallata celſis moenia montibus;
Munimen at majus ſuorum,
Perpetuo Deus ambit Urbem.
3 Non Ille ſemper ſceptra nocentibus
Permittet, inſons ſe ut doleat premi
Impune, felicique dextram
Incipiat ſcelerare culpa.
4 Bonis ſecundo Numine ades, Deus,
Et mente rectis:
5 Prava ſequentium
Gregem ſceleſtis ultor addet,
Et ſimili feriet ruina.

Sed

Sed Iſraelis laeta nepotibus,
Praecincta flavas Pax olea comas
Arrideat, plenoque cornu
Fundat opes, animoſque nectat.

PSALMUS CXXV.

In convertendo Dominus &c.

Praevidens tempus, quo Cyri decretum de ſolvenda captivitate Judaeorum promulgatum eſt, eorum exponit laetitiam, quae illius figura fuit, cujus participes erimus cum mala omnia evaſerimus.

1 CUm Deus Hebraeae Babylonia vincula genti
Rupit, & in Patriam poſſe redire dedit,
Vix bene credidimus nobis, ſunt illaque viſa,
Qualia quae fingit gaudia vana ſopor (a);
2 Laetitia at pleno mox exundavit ab ore,
Et feſto increpuit lingua ſoluta ſono.
Cum gentes haec audierint: Quam grandia, dicent,
Quotque illis tribuit dona fruenda Deus!
3 Dona fruenda Deus vere dat grandia nobis;
Tantaque ab hoc uno gaudia fonte fluunt.
4 Quotquot adhuc reliquos Babylon, Deus, impia ſervat,
Fac repetant plenis Patria tecta viis.
Compita ferveſcant venientum undantia turba,
Quae multis ſimul e partibus acta ruat,

(a) S. Hier. vertit, ſicut ſomniantes.

Qualis flante auſtro, pluviis, nivibuſque ſolutis,
Monte ruit torrens, raptaque ſaxa rotat,
Semper & auctus aquis, collectis undique rivis,
Volvitur, & merſos cornibus urget agros.
Sat dedimus lacrymis: Verſis in proſpera fatis,
Ire nota incipiant candidiore dies.
5 Haud aliter, triſtis qui terrae ſemina mandat,
Mox hilaris ſegetes plena per arva metet.
6 Moerebant inopes poſt ſemina jacta coloni,
Semina, quae mendax forte negabit ager;
Aſt ubi collectos teret area plena maniplos,
Laetitia exultant, inter opuſque canunt.

PSALMUS CXXVI.

Niſi Dominus aedificaverit domum &c.

Cum poſt captivitatem Judaei in templo, & Urbe reficienda laborarent, eos monet, ne nimium ſuae induſtriae tribuant, ſed Deo nitantur, quod ad noſtram inſtitutionem pertinere maxime, credendum eſt.

1 FRuſtra extruendis allaborat aedibus,
Sudatque plurimum peritus artifex,
Niſi extruendis praeſit aedibus Deus;
Urbiſque ſervans alta propugnacula
Fruſtra tuendis excubat pro moenibus
Armatus, Urbem ni Deus cuſtodiat.
2 Quid attinet labore vano conteri,

Quid ante lucem de thoro conſurgere?
Nil anxii eſte: cum quiete corpora
Curata fuerint, rurſus ad opus ſurgite,
Qui per laborem plurimum arctum quaerere
Panem coacti, cum dolore vivitis.
3 Spes eſt Deo credenda: ubi Ille adduxerit
Suis, habet quos unice chariſſimos,
Secura pacis, otiique tempora,
Quanta iis bonorum, quam perennis ſuppetet
Quam parta nullo cum labore copia!
En, dulcis a Deo profecta haereditas,
Beat parentes multitudo liberum,
Fructuſque felix ventre foecundo editus
Merces probatae juſta virtuti datur.
4 Quales ſagittae, quae valente dextera
Emiſſae ab arcu, certa portant vulnera,
Sic fauſta proles, quamlibet parentibus
Prognata dura ſorte jactatis diu,
Florens vigebit, atque pollens robore,
Formidoloſa vel ſuperbis hoſtibus.
5 Beatus ille, cui dedere Caelites,
Votis faventes, filiis pubentibus,
Velut ſagittis qui pharetram impleverit (a),
Domum refertam cernere! His cinctus latus
Securus animi incedet, & nullus pudor
Perfundet ora cum dies advenerit,
Qua callidos refellet adverſarios,
Spiſſae corona aſtante multitudinis,
Judicia quae frequentat, & certa die
Portas ad ipſas urbis in jus convenit.

PSAL-

(a) S. Hier., & Hebr. Implevit pharetram ſuam ex ipſis.

PSALMUS CXXVII.

Beati omnes, qui timent Dominum &c.

Hortatio ad pietatem, propoſita ingenti virtutis mercede, quae in veteri teſtamento de temporalibus bonis erat, in novo de aeternis eſt intelligenda.

1 O Te beatum, qui Deum caſte colis,
Ejuſque calcas ſemitas!
2 Tuae labore quod manus paraverint,
Te nutriet fructu ubere.
Tibi bene eſt, eritque; cunctis affluis,
Et ſemper afflues bonis.
3 Qualis maritae juncta vitis populo
Uvis abundat dulcibus,
Sic prole multa te beabit abdita
Uxor domus in angulo;
Virentibuſque ceu novella frondibus
Vigent olivae germina,
Venuſta menſam ſic tuam circumdabit
Florens corona liberum.
4 En ut bonis ditabitur quamplurimis
Timere qui novit Deum.
5 Haec largiatur, pluraque Ille munera
Tibi Arce de Sionia,
Solymaeque perfruare felicis bonis
Per cuncta vitae tempora.

6 Cernas tuorum liberorum filios,
Laetamque pace Patriam.

PSALMUS CXXVIII.

Saepe expugnaverunt me &c.

Judaeorum populus in nova templi, urbiſque aedificatione a vicinis gentibus vexatus, hic inducitur ſua mala, hoſtiumque inſanos conatus, ac futuram deſtructionem deſcribens, ſimulque Eccleſiae ſemper irritas oppugnationes.

1 SAepe immerentem prima ab origine
Vexavit acer me furor hoſtium:
Defuncta nunc demum periclis
Gens repetat genita Iſraele.
2 Saepe immerentem prima ab origine
Vexavit acer me furor hoſtium;
Sed nulla me clades, nec ulla
Frangere vis inimica quivit.
3 Incude ferrum tundit uti faber,
Lictor flagellis contudit impius
Sic terga plagis exarata (a),
Congeminans ſine fine plagas.
4 At tempus inſtat, cum Deus hoſtium
Cervice fracta, ſupplicia exiget:
Pudore tunc victi retrorſum
Terga dabunt populi feroces,

Qui-

(a) Hebr. Supra dorſum meum araverunt aratores. Et S. Hier.

Quicunque ſanctam nunc odiis Sion
Premunt iniquis.
5 Immiſerabiles
Repente fortunae ſecunda
Deſtituet melioris aura,
Brevique raptos dejiciet ſolo
Matura clades;
6 Tecta velut ſuper
Areſcit enatum, priuſquam
Falce cadat reſecante, foenum,
7 Lectis nec implet brachia faſcibus
Meſſor, nec herbas agglomerat ſinu,
Qui colligit ſparſos maniplos,
Fruſtra opus aggrediens inane;
8 Nec hoſpes illa praeteriens via
Dicit: ſecundet vota favens Deus,
Ejuſque Nomen, quae precamur,
Auſpicio meliore firmet.

PSALMUS CXXIX.

De profundis clamavi &c.

In malis captivitatis Dei miſericordiam implorat, culparum remiſſionem ſperat, hominum redemptionem praedicit.

MErſus malorum fluctibus,
Deus, profundo e gurgite
Ad Te ejulatus ſuſtuli

Ruptos ab imo pectore.
Voces, Deus mitiſſime,
Audi gementis, & pias
2 Verbis precantis, ut ſoles,
Aures miſertus commoda.
Neu Te minus placabilem
Admiſſa reddant turpia.
3 Aequo librata examine
Si cuncta penſes crimina,
Quis nam ſevera Judicis
Tanti ſubire arbitria,
Quis ſuſtinere vindicis
Torvam queat praeſentiam?
4 Sed ſumma Te benignitas
Commendat, atque amabilis
Lex poenitenti pollicens
Veniam paratam criminum.
Haec ſpem meam lex excitat,
Mihi ut pium Te ſpondeam.
5 Promiſſa veracis Dei
Addunt mihi fiduciam,
Animuſque noſter in malis
Favente fidit Numine.
6 Vitae diebus omnibus
A mane primo ad veſperum
Favente fidat Numine
Tota Iſraelis natio.
7 Penes Deum clementiae
Fons eſt perennis; maximum
Noſtrae ſalutis Ille habet
Pretium paratum; Ille omnia
8 Ab

Ab Iſraelis poſteris
Admiſſa quondam crimina
Magna piabit Victima.

PSALMUS CXXX.

Domine, non eſt exaltatum cor meum &c.

Suam praedicat modeſtiam, ut alios ad ſe imitandum alliciat.

1 INflata nunquam corda inani ſpiritu
Prae me tuli, Rex ſumme, nec ſum lumine
Faſtidioſo deſpicatus caeteros;
Nec praedicavi glorioſa, miraque
De me, meis & ampliora viribus.
2 Sublime ſenſi ſi quid unquam, ſuſtulit
Ventoſa me ſi mentis arrogantia,
Depulſus ut de matris infans ubere,
Plorans parentis ſe reclinat in ſinum (a),
Notas requirere & papillas nititur,
Fruſtraque ſe labore torquet irrito,
Sic anima Caeleſti ſueta nectari
Mea, inde pulſa det poenas ſuperbiae,
Carenſque nota lugeat dulcedine.
3 Ergo Iſraelis me ſequuta natio
Sibi parum confiſa, nec multum ſibi
Tribuens, ſuas ſpes unice credat Deo
A tempore hoc ad ultima uſque ſaecula.

(a) Vide Bellar.

PSALMUS CXXXI.

Memento, Domine, David &c.

Vel a Salomone compoſitus, cum aedificato templo Arcam Domini eo introduxit, vel a Davide in perſona Salomonis poſt templum aedificatum ab eo concinendus; continetque deſiderium Davidis templi aedificandi, & promiſſionem ei factam de Regno in ipſius domo ſtabiliendo; Quae omnia de myſtico templo, ideſt Eccleſia, & Chriſti Regno, ejuſque perpetuitate ſunt intelligenda.

1 DAvidis memor eſto, Deus, tecumque voluta,
Mitis ut in cives extitit ille ſuos.
2 Sic Domino fore juravit, ſic Numini Jacob
Obſtrinxit voti relligione fidem:
3 Non ego nota domus inſiſtam limina noſtrae (a),
Nec molli apponam membra levanda thoro,
4 Languida ſuffuſo nec claudam lumina ſomno,
Nec nocturna premet tempora victa quies,
5 Donec ſacra Deo videam conſurgere tecta,
Templaque ſublimi conſpicienda tholo,
Atque inventa piae ſeſe offerat area moli,
Et locus, Iſacii quem premat aula Dei.
6 Sedibus en nuſquam certis peregrina vagatur
Arca, Deus propriam non habet ipſe domum.

(a) 2. Reg. 7.

(a) Fama refert, terra manſiſſe Ephraitide quondam,
Pignoraque in Silo ſancta fuiſſe diu;
(b) Mox in ſylvoſis eadem deprendimus agris,
Juſſa Philiſtaeis finibus ire procul.
Jam certa ſtatione manent, optataque ſurgunt
Limina, habet ſtabilem jam Deus ecce domum.
7 Ergo Deo ſacram pavidi veniemus in aedem,
Affuſi ſancto, quo ſtetit Ille, ſolo.
8 His ſuccede, Deus, tectis, hac ſede quieſce,
Tuque, & ſancta ſimul foederis Arca tui.
9 Juſtitia incedat tectus, ceu veſte, ſacerdos,
Teſteturque ſacer gaudia feſta chorus.
10 Per fidum Tibi, Summe, caput Te Davidis oro;
Regis ne afficias ora pudore tui.
11 Namque Deus noſtro juravit vera parenti:
(Nec Divina ſolent verba carere fide;)
Parce timere; Tuo genitam de ſemine prolem
Imperii faciam ſceptra tenere tui.
12 Si tua progenies ſervarit foedera mecum
Pacta olim, leges audieritque meas,
Ipſa tuo aeternum ſolio ſubnixa ſedebit,
Indeque creta omni tempore poſteritas.
13 Nam Deus e toto ſibi vindicat orbe Sionem,
Hac una certam fixit in Urbe domum:
14 Haec, inquit, mihi ſit requies, has legimus aedes,
Hic ſedem ſtatui tempus in omne meam.
15 Munere & hic noſtro non funera conjugis uxor,
Damnaque deſerti ſentiet ulla thori;
Non modicas pauper captabit queſtubus eſcas,
Sed multa exiliet fruge, ciboque ſatur.

(a) I. Reg. 4. Alii aliter: vide Bellar.
(b) In agro Joſue Bethſamitae. I. Reg. 6.

16 Juſtitia incedet rectus, ceu veſte, ſacerdos,
Et feſtos ducet gens pia rite choros.
17 Hic Ego Davidis firmabo immobile Regnum,
Et Rex illuſtri Germine laetus erit.
18 Dejecti abſcedent hoſtes, victique pudore,
Munere florebit victor at ipſe meo.

PSALMUS CXXXII.

Ecce quam bonum &c.

Compoſitus, ut caneretur a Judaeis poſt ſolutam captivitatem ſimul concorditer habitantibus, & laudes concordiae continens.

1 EN quam ſalubre, quamque ſuave, mutuo
Fratres, coire foedere
Concordiae:
2 Tam ſuaviter ſpirat liquor
Unguenti, Aronis vertice
Diffuſus, inque barbam lene defluens,
Summas & oras veſtium
Collo alligatas;
3 Tam ſalubris decidit
Hermonis in cacumina
Ros mane primo, quique foecundat ſacri
Totum Sionis verticem,
Montiſque lactat utriuſque gramina
Gregibus alendis optima.
Nam qui ligati charitatis vinculo
Vivunt ſimul concorditer,

His larga donat Rex ſupremus munera,
Vitamque ſera in ſaecula.

PSALMUS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum &c.

Pertinet ad eos, qui poſt Templi refectionem, in eo frequenter verſabantur.

1 NUnc age, dic Domino laudes, & fauſta precare
Turba dicata Deo,
Auguſtam celebrans aedem, ſacraeque Tonanti
Atria ſancta domus.
2 Tollite nocte manus adyta ad ſacrata ſupinas,
Et celebrate Deum.
3 Quiſquis is es, tibi cuncta ſua det laeta Sione
Mundi utriuſque Faber.

PSALMUS CXXXIV.

Laudate nomen Domini &c.

Laudes Dei.

1 SAncta gens, Divum famulata Regi,
Ejus in laudes age rumpe vocem,
Ejus auguſtum celebra canoro
Nomen honore;

2 Qui Deo ſacras habitatis aedes,
Atria & ſancti veneranda templi,
In Dei laudes nimium morantes
Solvite linguas.
3 Sic Deo dignum: Bonus Ille, & omni
Laude tollendus; celebrate Regis
Nomen aeterni: nihil eſſe noſtis
Suavius illo.
4 Qui per immenſum dominatur orbem,
Proprium fidi genus Iſraelis
Legit, & certa ſibi mancipatum
Lege dicavit.
5 Novi ego, ut magnus Deus eſt, ut omni
Major eſt noſter Deus ille ſenſu,
Major & cunctis, ſibi quae crearunt
Numina gentes.
6 Quae vel in Caelo facienda ſanxit,
Quaeve per terras, vel aquoſa regna,
Aequoris ſuſos & ubique tractus,
Omnia fecit.
7 Terrae ab extremis gravidas repente
Partibus nubes vocat, & nigranti
Miſta demittit pluvia, & ſonoris
Fulgura nimbis.
De ſuis ventos, & operta promit
Flabra theſauris; Rapidi ſolutis
Proruunt froenis, trepidoque Caelum
Murmure miſcent.
8 Ille in Aegypti regione primas
Perculit proles, parilique caeſos
Clade ſeu foetus hominum peremit,
Sive animantum;

9 Mi-

9 Miraque oſtendit tibi ſigna, Memphi,
Impias contra Pharaonis iras,
Quem ſuis miſtum famulis, equiſque
Gurgite merſit.

10 Plurimas bello domitas cruento
Contudit gentes, validoſque reges (a)
Clade percuſſit, furioſa contra
Arma ferentes.

11 Rex Amorrhaeus mihi Sehos eſto,
Et Baſanites mihi teſtis Ogus,
Quotquot & cunctis Canaanis oris
Regna ſteterunt.

12 Tum ſuis terras dominis relictas
Sorte diviſit: ſata laeta Jacob
Victor invaſit, ſecuitque falce
Non ſua rura.

13 Magne Te Rector Superum, tuumque
Nomen aeternis vehet acta pennis
Fama; tantarum monumenta laudum
Saecula vincent.

14 Nam ſuum ſemper populum tueri
Perget, & juſtam teget Ille cauſam,
Et ſuis ſemper famulis benignas
Porriget aures.

15 Quae colunt ſtultae ſimulacra gentes,
Auro, & argento faber illa finxit:
Os habent, nullas tamen ore poſſunt
Edere voces;

16 Praedita & quamvis oculis, videre
Nil tamen poſſunt,

17 Neque pulſat aures

Ulla

(a) Numer. 21.

Ulla vox, nullus ſovet & rigentes
Spiritus artus.
18 Fiat his demum ſimilis, labore
Quiſquis ingrato ſabricare Divos,
Quiſquis & fictis maleſanus audet
Fidere Divis.
19 Omnis Aronis domus; Iſraelis
Omnis,
20 Et Levi, Dominumque quotquot
Axe regnantem colitis, merenti
Dicite laudes.
21 E Sion laudes reſonent Tonanti,
Sede qui regni Solymis locata,
Hic amat dici Pater, atque Princeps
Voce ſuorum.

PSALMUS CXXXV.

Confitemini Domino, quoniam bonus &c. 4.

1 TErrae totius incolae,
Laudes dicite ter bono
2 Divorum, atque hominum Patri:
3 Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
Omnes qui ſuperat Deos,
Omnes qui Dominos regit,
Illum tollite laudibus:
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum;

4 Ma-

4 Magna, miraque perficit
Solus,
5 Et ſuperas domos
Solers condidit artifex,
6 Terramque in mediis aquis
Fixa mole locavit;
7 Magna flammifero dedit
Axe fulgere lumina,
8 Solem, qui revehat diem,
9 Lunamque, & vaga ſydera,
Nox unde atra renidet;
10 Clade perculit impiam
Aegyptum, ſubita abſtulit
Proles primigenas nece.
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
11 Saevis progenitum Iſaco
Exemit genus hoſtibus,
Collaque eripuit jugo
12 Fortis robore brachii,
Dextra & omnipotente;
13 Aequoris tumidos rubri
Juſſit cedere gurgites,
14 Inde per medias aquas
Tranſmiſit profugum gregem
Iſrael pede ſicco;
15 Regis at Pharii caput,
Regni totaque robora
Iiſdem fluctibus obruit;
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
16 Mox deſerta per avia
Traduxit populum ſuum;

17 Dira Regibus intulit
Magnis funera,
18 Perdidit
Fortes caede Tyrannos;
19 Regem Sehon Amorrhium,
20 Ogi ſceptra Baſanii
Vertit exitio pari:
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
21 Terras inde prioribus
Ereptas dominis,
22 Suis
Sortito Iſacidis dedit:
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
23 Nobis rebus in aſperis
Dexter adfuit,
24 Hoſtium
Subtraxitque tyrannidi.
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
25 Unus Ille animantia
Curat omnia, providus
Eſcas ſufficit omnibus:
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.
26 Summo Caelituum Deo
Laudes dicite, Principum
Laudes dicite Principi:
Illius Pietas manet
Omne firma per aevum.

PSAL-

PSALMUS CXXXVI.

Super flumina Babylonis &c.

Lamentatio captivorum apud Babylonem, Jeruſalem, Templique everſionem deplorantium.

1 SEdimus inviſos dirae Babylonis ad amnes,
Deciduo triſtes imbre rigante genas.
Nam tua, chara Sion, menti occurſabat imago,
Templaque divitiis illa ſuperba ſuis.
2 Urbe inerant media ſalices; ſuſpendimus illis
Nablia, jam nullos apta ciere ſonos.
3 At gens, colla jugo quae noſtra oneravit iniquo,
Nos, ſcelus, eſt feſtos auſa rogare modos;
Et quae nos patriis captos abduxit ab oris:
Dicite, ait, veſtrae carmina nota Sion.
4 Ergone, dum miſeros regio nos barbara ſervat,
Dicemus vero carmina ſacra Deo?
5 Si qua tui, Solyme, ſubeant oblivia nobis,
Fungi dediſcat munere dextra ſuo;
6 Haereat & ſtupido torpeſcens lingua palato,
Si mihi te quicquam dulcius eſſe queat.
7 At Tibi, ſumme Parens, ſubeant, quae fecit Idume
Perfida, cum Solymae venit acerba dies.
Sternite, clamavit, ſceleratae ſternite muros
Urbis, & ex imo vertite cuncta ſolo.
8 Ah Babylon Babylon, noſtra nunc clade ſuperba
Exilis; aſt eadem te quoque fata manent!

9 Felix,

9 Felix, qui factis tibi praemia digna rependet,
Et reddet meritas ob mala noſtra vices;
Neſcius & flecti duro puerilia ſaxo
Atteret e matrum corpora rapta ſinu.

PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam &c.

Gratias agit Deo, quod precationem ſuam audiverit, qua fortaſſe Meſſiae adventum petierat, vel liberationem ab aliquo malo.

1 TE toto ex animo, Magne canam Deus,
Quod verba audieris, votaque ſupplicis.
2 Sancti rite memor ſub penetralibus
Templi ſacra Tibi carmina concinam,
Quae alternis recinant innumeri, meos
Circumfuſi humeros, Caelicolum Chori;
Et, ſit quanta tui gloria Nominis,
Dicam, quae pietas, quaeque tuis fides
Conſtet pollicitis; nam ſuper omnia,
Quae ſunt terrigenis indita nomina,
Nomen, quo haud aliud ſanctius eſt, tuum
Feciſti eximia fulgere gloria.
3 Qua Te cunque die voce vocavero,
Aures ad gemitus ſupplicis admove;
Inſuetus veniet per Te animo vigor,
Evadamque tuo munere fortior.

4 Cun-

4 Cuncti, qui populos imperio premunt,
Reges, Te meritis tollere honoribus
Diſcant; (inſonuit nam tua barbaris
Vox, & fama volat didita regibus:)
5 Ingreſſique vias, quas docuit Deus,
Dicant unanimis carmina vocibus,
Et dignam Domini carmine gloriam.
6 Caeli Rex Superum vertice conſidet
Celſus, multipotens, omnia providens;
Hinc demiſſa pio lumine reſpicit;
Contra elata oculis proſpicit eminus
Torvis, & facie tetricus aſpera.
7 Si vivam mediis anxius in malis,
Si circum immineant mille pericula,
Cunctis eripies incolumem malis,
Servabis mediis inque periculis;
Nam pro me validas objiciens manus,
Compeſces rabiem extrema minantium;
Illa & me faciet dextera ſoſpitem,
Cui vis nulla poteſt firma reſiſtere.
8 Sic vindex ſcelerum ſupplicia exiget
Pro me juſta Deus; deficiet tua
Nam nunquam Pietas innumerabili
Annorum ſerie, Summe hominum Parens.
Ergo ne miſeros deſpicias, tuae
Quos fecere manus, neve abigas procul.

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probaſti me &c.

1 *Admonet genus humanum, Deum eſſe operum noſtrorum rectiſſimum aeſtimatorem, omnia providentem, amicorumque ſuorum praecipuam curam gerentem.*

2 CUncta oculis, Deus alme, tuis ſunt pervia: Totum
Me ſcrutatus, habes perſpectum, animoque notatum,
Quicquid agam, quaecunque loquar, quae mente revolvam;
Seu ſedeam laſſus, ſeu preſſa ſedilia linquam,
Omnia Tu noſti;
3 Quicquid mens cogitat intus,
Tu procul aſpectas oculis, animique latentis
Abdita pervadis;
4 Pergam quacunque viarum (a),
Quaque iter abſolvam meta, qua ſede quieſcam,
Cuncta vides; nunc quicquid ago, multo ante videbas.
Nil mea lingua ſonat, vox nulla erumpit ab ore,
Quin levis aura referre tuas feſtinet ad aures.
5 Omnia ſcis, vel quae nunc ſunt, vel quae ante fuerunt;
Tu me eduxiſti dias in luminis oras,
Artificique manu finxiſti membra, ſimulque
Condita fulſiſti, in nihilum ne lapſa redirent.
Quae

(a) SS. Aug. & Hier. ex Hebr.

6 Quae Tibi mente ſedet, miranda ſcientia noſtros [a]
Excedit ſenſus, tantumque aſſurgit, eoque
Progreditur, ſtudio quo fruſtra ego nitar inani.
7 Quo me igitur vertam? quae me celare latebrae
Errantem, aſpectuque tuo ſubducere poſſunt?
8 Sydera conſcendam? Tu ſupra ſydera regnas.
Infernas penetrem ſedes? in ſedibus illis
Ultor ades.
9 Si mane novo mihi ſumere pennas
Detur, & immenſos Caeli percurrere tractus,
Ac demum extremi conſiſtere littore ponti,
10 Illuc me tua dextra vehet, mihi fulciet alas,
Meque tua in praeceps ruiturum dextra tenebit.
11 At circumfuſae, dixi, fortaſſe tenebrae
Dent latebras, & me denſo velamine condant.
12 Fallimur: ipſa diem nox efficit atra ſerenam
Me circa, & claro me lumine circumfundit,
Deliciaſque meas, occultaque probra revelat [b].
Non etenim ante tuum ſpiſſa caligine vultum
Nigreſcunt tenebrae, ſed nox nitet aemula luci,
Nec tenebris vel lux diſtat, vel luce tenebrae.
13 Quae mea te lateant, cum Tu mea viſcera primus [c]
Finxeris, &, coeca matris cum clauderer alvo,
Noſtra laboraris primordia?
14 Jure rependam
Ergo Tibi laudes, mira quod in arte probaris
Grande magiſterium, Teque acta per omnia magnum,
Attonitoque metu dignum: miracula rerum
Haec videt, atque oculis mea mens prope conſpicit ipſis.

X 2 15 Abdi-

(a) Hier. ex Hebr. ſuper me eſt ſcientia.
(b) Ita Bellarm. alii aliter.
(c) S. Hier. ex Hebr. *orſus es me.*

15 Abdita nulla Tibi noſtri ſunt corporis oſſa,
Quippe tua compacta manu, cum ventre crearer
Materno abſtruſus, confuſaque corporis hujus
Compages, variis inter ſe partibus apta
Sub genitali arvo, & latebris coaleſceret imis.
16 Mox imperfectum gravida intra viſcera foetum (a),
Jam tum vitalique aura, formaque carentem
Lumina viderunt tua, & omni ex parte notarunt.
Namque expreſſa hominum cuncta exemplaria mente,
Non ſecus ac magno deſcripta volumine, ſervas,
Inque dies quotquot veniunt has lucis in oras,
Nullus abeſt.
17 Verum quiſquis Tibi vivit amicus,
Illum quantus honor, me judice, quanta ſequetur
Gloria, quamque potens, & quanto robore firmum
Imperium ſine fine manet!
18 Numerare tuorum
Me juvat ingentem populum; numerare ſed illos
Qui velit, enumeret poſitas in littore arenas.
Haec reputans ſomno excutior; me lumen obortum
Excitat, & Te pone ſequi, Tecum eſſe, Tibique
Magne Parens, haerere jubet.
19 Si perdere ſontes
Eſt certum Tibi, ſi haec animo ſententia ſedit,
Ite procul, procul hinc fera corda faceſſite, quotquot
Caedibus, & damnis paſcit furioſa libido.
20 Proſpera vos limis ſpectantes fata bonorum,
Haec tacito inſani verſaſtis pectore dicta:
Fruſtra illi modo florentes, rebuſque ſecundis
Elati, quaſcunque, Deus, permiſeris urbes
Obtineant; inde ejectos agitabimus armis

(a) Ita Hebr.

Perpetuo, nulla paſſi conſiſtere terra.
21 Hos ego, qui Te odiis, Deus, inſectantur iniquis,
Nonne odi? nonne exarſit ſuffuſa medullis
Contra hoſtes gravis ira tuos, animumque peredit?
22 Quin illos odio, quo non violentius ullum,
Ultro averſatus, nullo mihi foedere jungi
Perpetiar, ſua quos fecit mihi culpa inimicos.
23 Me ſcrutare, Deus; cordis ſecreta profundi
Inſpice: non oculos devito cuncta tuentes;
In mores inquire meos, mea facta, meaſque
Curas, & ſtudia, & varios cognoſce labores.
24 Si quid ineſt pravum mihi forte, aut ſi quid iniquum,
Corrige, & obliquo revocans de tramite, recta
Me deduce via, qua aeternas itur ad Arces.

PSALMUS CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo &c.

1 *David vel in perſona propria Deum exorat adverſus Saulem, ejuſque miniſtros, vel in perſona Chriſti, & Chriſtiani populi adverſus Diabolum, ejuſque ſatellites.*

2 ERipe me populo, Deus immortalis, iniquo,
Eripe molitis impia coepta viris;
3 Qui tacito inſidias animo mihi mille pararunt,
Inſtaurant totos & nova bella dies.
4 Ad ſolem ut ſerpens, linguas acuere vibrantes,
Utque aſpis, labiis atra venena tegunt.

5 Me, Deus, e manibus ſerva, rabieque nocentum,
Subtrahe jactatis in mea damna minis.
6 Aggreſſi ad terram me deturbare ſuperbi,
Mille mihi tectos compoſuere dolos.
Fune viam ſecus extento mihi coeca pararunt
Vincla, parum cautos implicitura pedes.
7 Verſus ego ad Dominum: Deus es meus; accipe, dixi,
Quas Tibi ſubmiſſo fundimus ore preces.
8 Tu virtus, Tu noſtra ſalus: cum bella calerent,
Texiſti noſtrum, ceu clypei orbe, caput.
9 Ne patere incautum fallat me coeca libido,
Dedar & infeſtis hoſtibus ipſe volens.
In me dira parant. Ne Tu me deſere, neve
Cladibus exultet gens inimica meis.
10 Summa quidem fraudum, queis me circumvenit, ipſam (a),
Et quibus inſanit, verba maligna, prement.
11 Deſuper undabunt flammae, capita obruet ignis,
Nec de tot dabitur ſurgere poſſe malis.
12 Lingua loquax rebus nunquam eſt fruitura ſecundis,
Impius ad mortem per mala multa ruet.
13 Novi etenim, vindex quondam affore Numen egenis,
Ulturumque inopes, quos mala iniqua premunt.
14 Laudabit gens juſta tuum, Deus optime, Nomen,
Incolet &, laeta quae loca fronte beas.

PSAL-

(a) Ita Bellar. & Tirin.

PSALMUS CXL.

Domine clamavi ad te &c.

Petit ab ſe arceri peccata, & peccatores.

1 MAgnis vocavi Te, Deus, clamoribus;
Audi vocatus ſupplicem;
Audi vocatus ſupplicem, clamoribus
Quandoque Te vocavero.
2 Ut ſacri odorum fumi in auras vorticem
Acerra volvit thurea,
Aſcendat ad Te grata ſic precatio
Ardente fuſa pectore;
Et cum ſupinas porrigam Caelo manus,
Jucundum id accidat Tibi,
Quam ſuave fumat, quod ſolemus veſpere
Imponere in aras, Sacrum.
3 Ori obde noſtro pertinax repagulum,
Firmumque labris objicem,
4 Ne cor meum maligna verba effutiat,
Vanoque culpas nomine
Praetexat, & ſe ſuave blandientibus
Deliniat mendaciis.
Cum perditiſſimis mihi mortalium
Nunquam ſodalitas erit,
Electa menſis nec guloſis aſſidens,
Libabo eorum fercula (a).

(a) Hebr. *Non comedam cibum voluptatis eorum.* S. Hier. *Comedo in deliciis eorum.* Chald. *Conviviis.*

5 Peccavero ſi quid, miſertus corriget,
Et increpabit vir bonus;
At verba, quae ſceleſti adornant, lenia;
Inſtarque olivi mollia,
Procul faceſſant: tali olivo non feram
Meum nitere verticem.
6 Quin, ſupplices cum fudero ad Deum preces,
Orabo id unum ſcilicet,
Optata eorum ne ſecundet, gaudia
Sed criminoſa diſſipet.
Et jam protervos pravitatis principes;
Duces, magiſtros criminum,
Magno gravatos colla ſaxi pondere
Merſos profundum abſorbuit.
7 Quid noſtra poſſint verba, fracti ſentient
Ultro fatentes impii;
Sic craſſior domatur unco vomere
Gleba, ac ligone rumpitur.
Sed interim inſtant; jamque nos fatiſcimus
Fracti malorum pondere,
8 Et oſſa ruptis diſſipata nexibus
Ad ipſa Ditis oſtia
Solo jacent, futura praeda hiantibus
Voracis Orci faucibus.
Ad Te, Deus, ſed mortis ipſo in limine
Jam preſſa, jam natantia
Sub nocte lumina extuli, clemens Deus,
In Te locavi ſpem meam.
Ne, quaeſo, ne ſinas meis innoxium
Membris revelli ſpiritum.
9 A retibus mihi paratis libera
Pene implicatos jam pedes.

Vi-

Vide, in ſalebris prava molientium
Mea ne haereant veſtigia.
10 Haec culpae amantes incident in retia,
Seque inſcientes induent.
Me at ipſe ſegregabo, ne conſortio
Culpaeque, poenaeque implicer;
Donec parata evaſero diſcrimina,
Quae nunc latus circumſident.

PSALMUS CXLI.

Voce mea ad Dominum clamavi &c.

1 *Cum fugiſſet a Saule ad Regem Achis, & ab hoc quoque male habitus abdidiſſet ſe in ſpeluncam Odollam, Deum orat, ut a periculo liberetur.*

2 MEis Deum clamoribus
Vocavi, & ore ſupplici
Illius implorans fidem,
Rebus rogavi in aſperis.
3 Et nunc ab imo pectore
Solus, remotis arbitris,
Effuſa vota ante Illius
Expromo vultus, & mala
Oſtendo, quae me ſauciant,
Et dira pando vulnera,
4 Dum vita me jam deficit,
Jam me relinquit ſpiritus.

Sat

Sat cognitos habes, Deus,
Mores meos, nec omnia
Non facta, ſtudiaque omnia.
Hac innocentiae via
Cum nil timens incederem,
Meis latentes greſſibus
Laqueos parat gens impia,
Vim mox apertam ſuſcitat;
5 At ſolus ipſe ad dexteram
Reſpecto, ſi quid auxilj
Seſe offerat; ſed undique
Eſt ſolitudo maxima,
Et nemo ſit mihi obviam,
Qui me vel ore noverit;
Spes ulla nec patet fugae,
Et nemo de me cogitat,
Vita aut laborat de mea.
6 Ad Te, Deus, quam maximos
Tunc ejulatus ſuſtuli:
Tu noſtra, dixi, es unica
Spes, & beata in Patria
Mihi parata haereditas.
7 Aures precanti commodas
Intende; depreſſus nimis,
Maliſque ſum pene obrutus.
Tanta caterva ab hoſtium
Me perſequente libera,
Novis quae adaucta viribus
Incumbit in cladem meam.
8 Educ ab hiſce me malis,
Quae me velut duriſſima
Clauſum tenent cuſtodia.

Jam

Jam me opperitur liberum
Gens juſta, dum perennia
Mihi rependas praemia.

PSALMUS CXLII.

Domine, exaudi orationem meam, auribus &c.

Perſecutionem Abſalonis peccati ſui poenam eſſe intelligens, ejus veniam poſcit, & verae poenitentiae normam tradit.

1 HAs, Pater alme, preces, pronis haec excipe vota
Auribus: hoc fidei, juſtitiaeque tuae eſt.
2 Judicio noli mecum contendere; nemo,
Qui Te diſceptet judice, juſtus erit.
3 Urget atrox hoſtis, pugna & congreſſus iniqua
Jam toto exanimem corpore ſtravit humi.
4 Mox miſerum in tenebris, & coeco carcere clauſit,
Ut, quae vitali corpora luce carent.
Anxia tum quantae laniarunt pectora curae,
Quantus inundavit turbida corda dolor!
5 At priſci ſubiere dies, animoque recurrit
In noſtros pietas illa vetuſta patres;
In mentem rediere tuae facta omnia dextrae,
Oblatum miſeris ſemper & auxilium.
6 Ergo animum ſpe confirmans, Tibi aperta tetendi
Brachia, conſuetam voce precatus opem.
Aret enim ſine Te, ſitiens Te ſpiritus optat,
Ut pluviam aeſtivo ſydere terra ſitit.

7 Sit

7 Sit mora nulla; meas, Deus o, precor, accipe voces:
Deficio, atque animam jam moriturus ago.
Neu faciem avertas, ſimilis ne forte nocenti
Sim turbae, Stygii quam rapit unda lacus.
8 Pulchra dies properet, qua Te ſentire faventem
Incipiam; Eſt opibus ſpes mea nixa tuis.
Quam jubeas calcare viam, Tu lumine ſigna,
O deſideriis meta petita meis.
9 Eripe me ſaevis, quibus urgeor, hoſtibus: ad Te
Confugio, o noſtris portus, & ara malis.
Me ſervare doce, tua fert quodcunque voluntas;
Tu Deus: arbitrii me decet eſſe tui.
10 Me tuus afflatum Divina Spiritus aura
Ducet, & obliqua non ſinet ire via.
Ob Nomen revocata tuum mihi vita redibit,
Tanta Tibi in verbis, pollicitiſque fides.
11 Tanta Tibi pietas, qua me diſcrimine certo
Educes, hoſtes disjicieſque meos;
12 Et qui me cruciant, praeſenti hos funere perdes;
Namque ego ſum ſervus, nec piget eſſe, tuus.

PSAL-

PSALMUS CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus &c.

Victoria Davidis adverſus Goliath, qua ſignificatur Chriſti, & Eccleſiae victoria adverſus Diabolum, ejuſque miniſtros.

1 IO triumphans, euge potens Deus,
Ad arma noſtras qui erudiit manus,
Et certa contorquere bello
Tela rudes docuit lacertos!
2 Mihi Ille aſylum, perfugium mihi
Eſt Ille, portuſque; Ille ſalus mea,
Munimen, ac tutela praeſens,
Inque meis columen periclis.
Spes omnis ejus praeſidio ſtetit,
Ultro regendam qui mihi tradidit
Gentem meorum, ſubditamque
Imperiis dedit eſſe noſtris.
3 Quid, ſumme Rector, quidnam homines ſumus,
Te noſſe nobis ut dederis? genus
Mortale quid totum eſt, habendum
In numero ut videatur ullo?
4 Homo eſt inani par prope imagini,
Vana intuentes quae ſpecie capit;
Ejuſque delabuntur anni,
Ceu volucri fugit umbra lapſu.
5 Deſcende Caelo; caerulei Tibi
Curventur orbes; Culmina montium

Continge dextra, vorticoſum
Igne voment populante fumum.

6 Ruptis coruſcans fulgura nubibus
Terrore mentes concute turgidas;
Triſulca Te vibrante tela,
Corda pavor tremefacta ſternat.

7 Vindex ab alto porrige brachium,
Meque ingruenti diluvio eripe,
Ac gentis eductum profanae
E manibus ſine fraude ſerva;

8 Quae vanitatis, fraudis & artifex
Linguam erudivit fallere callidam;
Et caedibus ſuetam, & rapinis
In facinus rapit omne dextram.

9 Quiete parta, tunc ego concinam
Non uſitato carmine Te, Deus;
Te noſtra teſtudo loquetur
Docta decem reſonare chordis.

10 Tu, qui ſalutem reddere Regibus
Soles, minantem qui capiti tui
Davidis enſem depuliſti,
Subtrahe nunc iterum periclo;

11 Gentis profanae me eripe faucibus,
Lingua eruditae fallere callida,
Et fraudibus ſueta, & rapinis
In facinus ruere omne dextra.

Nunc illa fortunae exilit ebria
Favore:

12 Lecti dulcia pignora
Florente pubeſcunt juventa,
Germina ceu fruticant novella.

Puella comptis crinibus auream
Induta pallam Sidonio nitet

Spectanda in oſtro, ceu renident
Templa die decorata feſto;

13 Differta largis horrea frugibus
Rumpuntur, auctas nec capiunt opes;
Majora poſcunt, ampliora
Mox alia, atque alia extruuntur.

Foetura ſupplet lanigeros greges,
Inire quorum vix numerum queas,
Cum paſtor egreſſos ovili
Paſcua ſecum in opima ducit.

14 Armenta vaſto pinguia corpore
Errant per agros; non paries timet
Firmus ruinam, nec rapaci
Dat faciles aditus latroni.

Non illa clamor per fora bellicus
Auditur; alto cuncta ſilentio
Pacata late conquieſcunt,
Omnia laeta, timorque nullus.

15 Cui tanta genti contigerint bona,
Dicunt beatam; at fallit opinio:
Ille eſt beatus, cui bonorum
Summa Deus, Deus omnia unus.

P S A L M U S CXLIV.

Exaltabo te, Deus meus rex &c.

Laudatio Dei.

1 TE, Deus, audaci, Te, Rex Altiſſime, tollam
Carmine, cuncta tuum celebrabo in ſaecula
Nomen;
2 Nulla tua, quaecunque fluet, lux laude vacabit,
Tempora nulla tuo ſignata haud Nomine current,
Dum ſe perpetuos devolvent ſaecula in orbes.
3 Magnus enim Deus eſt, laude & digniſſimus omni,
Nec Majeſtatis modus eſt, menſuraque tantae.
4 Proin homines, quotquot vel ſunt, vel deinde
ſequentur,
Vel geniti quondam ſurgent volventibus annis,
Facta tua, & quantis manifeſta potentia rebus
Extiterit, multa ſemper cum laude loquentur.
5 Narrabunt, quam ſancta tuae quamque inclyta
dextrae
Sint opera, ut miris niteat tua gloria ſignis;
6 Tum quam terribilis, quam ſis virtute timendus
Hoſtibus, & quanto tua turbine ſaeviat ira.
7 Mox etiam pietate tua, & dulcedine mira
Perfuſi, pleno gratas e pectore voces
Erumpent, memoreſque aevo tua dona relinquent
Perpetuo teſtata; Tuis conſtantia dictis,
Promiſſiſque fides, quae ſit cuſtodia recti,
Omnia

Omnia vulgabunt, & cantu gaudia prodent.
8 Quippe bonus, mitiſque Deus, patienſque, piuſque;
Omnibus & ſuavis;
9 Sed enim clementia cunctis
Egregie nitet in factis, atque omnia vincit.
10 Te tua, ſumme Pater, laudent ingentia geſta,
Teque canat, laudeſque tuas gens cuncta piorum.
11 Gloria quanta tui ſit, quanta potentia regni,
12 Omnibus hi pandent populis, quo ſumma poteſtas,
Qua Tu cuncta regis, ſit nulli ignota, tuique
Imperii diſcant omnes decora inclyta gentes.
13 Cuncta tuum ſeſe extendit per ſaecula regnum,
Dumque hominum ſemper ſibi ſuccedentia ſurgent
Semina, jura dabis toto dominatus in orbe.
Quam verax Deus eſt! Cunctis quae pondera verbis!
Quanta fides! Cunctis quae porro, quantaque factis
Integritas, foedae probitas & neſcia labis!
14 Ille ſuos firmatque manu, fulcitque labantes,
Ille ſolo eliſos, opis ac virtutis egentes
Erigit.
15 Hinc cunctorum oculi, Rex optime, ſolum
Te ſpectant, abs Te auxilium, pacemque petentes.
Pabula munificus cunctis Tu tempore praebes
Opportuna ſuo;
16 Laxas in opima benignas
Dona manus, plenumque tuo genus omne animantum
Munere, abeſſe nihil ſentit, quod vita requirat.
Quidquid mente Deus gerat, & quodcunque capeſſat
Conſilium, juſti numeris eſt omnibus auctum,
17 Quidquid agat, ſanctum eſt, & nulla labe notandum.
18 Si quis eum ex animo ſupplex in vota vocarit,
Protinus Ille vocatus adeſt, & vota ſecundat;

Si quis eum veritus caſte colat, Ille libenter
Annuet optanti, prece & exorabilis omni
Cuncta dabit, quaecunque petet, cunctiſque periclis
Ereptum, certa tribuet gaudere ſalute;
10 Ipſe ſuis aderit dubio in diſcrimine cuſtos,
At perdet male peccantes, & obeſſe vetabit.
11 Hoc mihi carmen erit; Tanti plena ora reſolvam
Numinis in laudes, reſpondens aſſonet, aura
Quidquid vitali fruitur, Nomenque verendum
Perque omnes ferat aetates, perque omnia ſaecla.

PSALMUS CXLV.

Lauda, anima mea, Dominum &c.

1 *Praedicit renovationem Hieruſalem poſt Babyloniam captivitatem, ſuadens, nequis in hominibus ſpem ponat, ſed in Deo.*

2 DIc Deo laudes, anime: Ille totos
Eſt mihi vitae celebrandus annos;
Quamdiu hic degam, Dominum canoro
Pectine dicam.
3 Principum nullam fragili in favore
Spem, vel humanis opibus locetis:
Nulla mortali bene ſpes ſalutis
Creditur unquam.
4 Mors ubi nexus animae revellet,
Frigidus fient reſoluta pulvis
Membra, tunc omnes fugient inani
Pectore curae.

5 Quem Deus Jacob tegit, ille felix;
Ille, cui ſpes eſt Deus una, Caeli
6 Conditor, terraeque, mariſque, & omni
Quicquid in orbe eſt,
7 Qui rata aeternum ſua dicta ſervat,
Damna qui paſſos recreat, fovetque,
Qui fame feſſos reficit parata
Providus eſca;
8 Ipſe captivis ſua vincla ſolvit,
Dat diem coecis reducem tueri,
Erigit fractos, patriumque juſtis
Praeſtat amorem;
9 Advena eſt ipſi, profuguſque curae,
Ipſe pupilli, viduaeque duram
Suſcipit cauſam, ſcelerumque pravas
Diſſipat artes.
10 Ipſe regnabit redeunte ſemper
Orbe ſaeclorum; Tuus ille, Sion
Alma, regnabit Deus ad remotos
Uſque nepotes.

PSALMUS CXLVI.

Laudate Dominum, quoniam bonus &c.

Hortatio ad laudandum Deum, tum ob alia, tum praeſertim ob reſtitutam Hieruſalem, in cujus aedificatione Eccleſia intelligitur.

1 LAudate Regem Caelitum: tales decet
Cantus cientem pſallere;
Jucunda ſit, tantoque digna Nomine
Noſtro Deo laudatio.
2 Ille excitabit ſubrutae Hieruſalem
Caelo inſerenda moenia;
Et Iſraelis diſſipatas undique
Partes in unum colliget.
3 Ille admovet fomenta corde ſauciis,
Circumligatque vulnera;
4 Caelo recenſet Ille ſparſa ſydera,
Et cuncta ſignat nomine.
5 Eſt magnus Ipſe, magna virtus Ipſius;
Nec eſt modus ſapientiae.
6 Mites recepit mitis, at tumidum ſcelus
Dejecit afflictum ſolo.
7 Hunc perſonate laudibus; noſtro Deo
Pulſate vocales fides;
8 Qui condit atris omne caelum nubibus,
Imbreſque terris dejicit,
Qui veſtit herbis celſa montium juga,
Olusque fert mortalibus;

9 Jumenta latis, qui vagata paſcuis
Virente nutrit gramine;
Implumibuſque corvis ſe invocantibus
Petita praebet pabula.
10 At non equorum fortitudo, & inſolens
Deo placet ferocia;
Suis nec homines viribus fiſi nimis,
Pernicibuſque cruribus;
11 Sed qui verentur mente dejecta Deum,
Quique Ejus indulgentia
Freti, Deo res, ſpeſque concredunt ſuas,
Hos Ille ſolos diligit.

PSALMUS CXLVII.

Lauda Hieruſalem Dominum &c.

Qui apud Hebraeos eſt continuatio ſuperioris.

Laudat Deum ob beneficia populo ſuo praeſtita, quae perfectius Chriſtianae Eccleſiae conveniunt.

12 REgalis Urbs Hieruſalem,
Deum celebra laudibus
Tuum, Sionis Civitas,
Laudare ne ceſſa Deum.
13 Novo Ille te munimine,
Novoque ſepſit robore,
Firmiſque portarum ſeris
Vectes ahenos obdidit,
Multoque dites munere

Tuos beavit filios;
14 Tuiſque juſſit auream
Regnare pacem finibus,
Et laeta fluctuantibus
Foecundat arva meſſibus.
15 Sua Ille verba in ultimas
Emittit oras: Illico
Terras per omnes evolat
Divina vox pernicibus
Subvecta pennis, & ſua
Virtute complet omnia.
16 Ut alba lanae vellera,
Nunc candidas ſpargit nives,
Nunc inſtar atri pulveris,
Nebulas volucres aere
Effundit, aut algentibus (a)
Agros pruinis excoquit.
17 Nunc unda concreſcit gelu
Aſtricta, ducta in laminas
Glacies rigeſcit frigore,
Buccella tamquam ſectilis.
Heu quanta vis eſt frigoris!
Vim ferre quis tantam queat?
18 Verbum Deus ſed efficax
Emittit ore, ac protinus
Nives, pruinas, & gelu
Calore ſolvit igneo.
Spirabit Auſter humidus
Ipſo jubente, & candidis
Gelu nivale montibus
Liqueſcet, inde flumina
Aquis adaucta defluent.

(a) S. Hier. pro *nebulam* vertit ex Hebraeo *pruinam*.

19 Haec caeteris; Sed unice
Dilecti Jacob poſteris
Sua Ipſe verba nunciat;
Sua Iſraelis filiis
Praecepta, ſuaque foedera,
Suaſque leges tradidit.
20 Non omnibus tot praeſtitit,
Nec tanta nationibus;
Suaeque mentis abdita
Illis patere noluit.

PSALMUS CXLVIII.

Laudate Dominum de Caelis &c.

Invitat res creatas ad Deum laudandum.

1 LAudibus omne ſonet Caelum, Supera ardua laudes
Dei canoris perſonent concentibus;
2 Caelicolae in laudes ora immortalia ſolvant,
Deumque laudet cuncta Virtutum cohors;
3 Sol Illum radiis, & Luna loquacibus, Illum
Stellaeque, Caeli & cuncta laudent lumina.
4 Supremique orbes, ſupremiſque orbibus undae
Supernatantes Nomen ingens praedicent;
5 Cuncta Deum laudent: Ejus ſunt condita voce
Cuncta: Ipſe juſſit, extitere & omnia.
6 Perpetua haec ſtatuit, ſemperque integra manere,
Nec conſtitutum praeteribunt ordinem.
7 Laudibus hinc tellus reſonet, tum grandia cete,
Tum nant profundo monſtra quotquot gurgite;

8 Ignis, grando, nives, glacies, ventique furentes;
Quae intenta dictis omnia apparent Deo.
9 Tum montes, colleſque humiles, plantaeque feraces,
Saltuſque agreſtes, ſaltuumque honor, cedri;
10 Tum pecudes, omneſque ferae, & quae corpora volvunt,
Pennis & auras quae ſecant volucribus;
11 Tum Reges, populique omnes, omneſque tyranni,
Terriſque quotquot jura dicunt judices;
12 Impubeſque ſimul pueri, innuptaeque puellae,
Seneſque miſti juniorum coetibus,
Divinum laudent concordi carmine Nomen,
Sublime, celſum, cuncta vincens nomina.
13 Laudibus Illius Caelum, telluſque reſultet,
Suam qui ad aſtra gentem gloria extulit.
14 Hymnis ergo decet coetum indulgere piorum,
Stirpem Iſraelis, proximum Deo genus.

PSALMUS CXLIX.

Cantate Domino canticum novum, laus &c.

Praevidens humani generis liberationem, & Eccleſiae Chriſtianae victorias, ac praeſertim eam, quam ſancti in judicio de tyrannis, & improbis referent, bonos hortatur, ut Deo gratias agant; atque haec ſub imagine triumphorum, quos Iſraelitae de hoſtibus reportarunt, adumbrat.

1 INſuetum Domino dic age canticum,
Gens addicta Deo; Namque pios decet
Conventus animis rite faventibus
Illum tollere laudibus.

2 Jacobi ſoboles laetitia fremat,
Vitae concelebrans Artificem ſuae,
Sioniſque agitent gaudia filii
Regis prae ſtudio ſui.
3 Ejus vociferans ingeminet chorus
Nomen, quo reboent concava tympana,
Cui deinde ad numerum cum fidibus decem
Concors barbitos aſſonet.
4 Semper de populo ſolicitus ſuo
Hunc praeſente Deus Numine protegit;
Manſuetiſque viris & decus, & ſimul
Vitae praeſidium afferet.
5 Ergo perpetua Gens Pia gloria
Exultans, patriis laeta aget aedibus,
6 Plenoque unanimes gutture concinent
Cauſam laetitiae Deum;
Iidemque ancipites vindice dextera
7 Stringentes gladios, exitium impiis
Indicent populis, diraque gentium
In ſe facta redarguent.
8 Captis injicient vincula regibus,
Et multa proceres compede vincient,
Juſſos judicio ſiſtere ſe ſuo,
9 Et
Cauſam dicere criminum;
Decreta in tabulis ſcripta adamantinis
Nulla in perpetuum ſaecula deleant.
Haec Sanctos homines gloria, & hoc manet
Electum populum decus.

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in Sanctis Ejus &c.

Populum Dei invitat ad Ejus laudes canendas.

1 LAudate Sancta in ſede ter Sanctum Deum,
Sydereaque domo,
Virtute quam firmat ſua;
2 Laudate miram Numinis potentiam,
Quaque nihil melius,
Majuſve, magnitudinem.
3 Dei tubae clangore laudes dicite,
Sive decem fidibus,
Sive amplius juvet lyra,
4 Vel tympano, chordiſve mollioribus,
Multiſonove choro,
Altum ſtrepente aut organo;
5 Deum ſonora voce laeta cymbala,
Laude Deum celebret,
6 Quicunque ducit ſpiritum.

FINIS PSALMORUM.

CANTICA

UTRIUSQUE TESTAMENTI

QUAE IN ECCLESIASTICIS OFFICIIS USURPARI SOLENT.

Digitized by Google

CANTICUM MOSIS

I. ex Exod. C. 15.

Cantemus Domino &c.

Poſt mare rubrum tranſmiſſum, Aegyptioſque cum Pharaone demerſos, Moſes hoc cecinit Epinicium, populumque edocuit, in quo factum magnifice deſcribit, Deo gratias agit, & Iſraelitarum ingreſſum praedicit in Terram promiſſam, gentibus, quae ſe opponerent, expugnatis; Quae ad hominum liberationem per Chriſtum accommodari ſolent.

1 DEum canamus: Grandia protulit
Interminatae ſigna potentiae;
Vaſtoque dejectos profundo
Victor equos, equiteſque merſit.
2 Deus mihi armorum inſtar, & agminis,
Deus triumphi dulce decus mei;
Illoque ſuſtentante fulta
Noſtra ſalus ſtetit, atque vita.
Mihi Ille ſolus ſemper erit Deus,
Solumque ſemper laudibus efferam:
Pater colebat; nunc paternae
Ipſe colam pietatis haeres.
3 Invictus ut bellator, & impares
Aggreſſus hoſtes, omnipotens Deus

Viro-

4 Viroſque, quadrigaſque ſparſit
Aequoreis Pharaonis undis.
Rubro natavit naufraga gurgite
Electa pubes;
5 Obruta fluctibus
Deſcendit in fundum, pereſo
Fragmen uti ſcopulo revulſum.
6 Fortem probavit ſe tua Dextera,
Deus, tua hoſtem Dextera perculit;
7 Diaque majeſtate vultus
Exanimes jacuere turmae.
Erumpit ardens ira, & edacibus
Correpta flammis agmina devorat,
Immiſſus arentem per agros
Ceu ſtipulam populatur ignis.
8 Proflas furentem pectore ſpiritum,
Tum fluctus alto ſe aggerat aequore
Immotus, aſſurgitque magno
Unda ſtupens glomerata monte.
9 Adurget hoſtis: Perſequar, inquiens,
Captos reducam; Tum ſpoliis gravis
Revertar, & partis fruetur
Divitiis ſatiatus ardor;
Nudabo fidum, quod male comprimit
Vagina ferrum, ſanguinis improbi
Hauſtu rigandum, decolorque
Caede ſolum miſera natabit.
10 Tuus flat atro turbine ſpiritus,
En pontus illos obruit, en vadis
Repente deſidunt profundis,
Sicut iners gravitate plumbum.
11 Virtute ſeſe quis Tibi conferat?
Tu Sanctus aeque ac magnificus, ſimul

Laudaris, atque idem timeris,
Nilque facis, niſi mira ſemper.
12 Vix Ipſe dextram quippe tetenderas,
Jamque aequor hoſtes hauſerat:
13 At tuis
Dux extitiſti, quos levaras
Niliacis miſerans catenis.
Mox & lacertis impoſitos tuis
Caſus tuliſti per varios viae
Ad arva promiſſa, & daturas
Tecta plagas Tibi dedicanda.
14 Contra irruerunt, quas furor exciit
Ad arma, gentes; indoluit fremens
Quiſquis Philiſtaeos aratro
Vertit agros, & amoena rura;
15 Flos ipſe Idumes territus adſtitit,
Valenſque membris intremuit Moab,
Viſuque conſternatus ipſo
Diriguit Cananaeus acer.
16 At obſtupeſcant attoniti metu,
Tremens per artus inſinuet pavor,
Dum turbine ingenti rotatum
Circumagit tua dextra ferrum;
Ut dura rupes, aut gelidus ſilex,
Immobiles ſtent, dum tua tranſeat
Haec turba ſoſpes, quam perenni
Mancipio Tibi comparaſti.
17 Tuo illa ductu ſcandet in ardua
(a) Tibi ſacrati montis, ubi altius
Radicibus fixis, tenebit,
Quos proprios dederis, receptus:

Edu-

(a) Sionis,

Educta in auras ſacra Tibi Domus
Hic ſurget, artis nobile opus tuae;
Hic templa, manſuramque molem
Ipſe tuis manibus locabis.
18 Nam firma, nullis motaque caſibus
Aeternitatem Numen in ultimam,
Aeternitatem & ſiquid ultra
Eſſe poteſt, ſua regna profert.
19 Bene eſt: In altum ſe Pharao dedit,
Miſtique currus, atque equitum greges,
Deoque ſuſpenſi movente
In capita inſiliere fluctus.
At Iſraelis per medias aquas
Felix propago carpſit iter datum,
Siccoque tranſivit profundo,
Dante viam, ac fugiente ponto.

CANTICUM MOSIS

II. ex Deuter. C. 32.

Audite, Caeli &c.

Moſes morti proximus, praevidenſque populum a Deo defecturum, & in Idololatriam prolapſurum, hoc ei Canticum tradidit ediſcendum, in quo praemiſſis Dei laudibus, in ingratos Hebraeos invehitur, poenas minatur, Divinam demum miſericordiam pollicetur.

1 CAeleſtes audite orbes, haec verba loquentis;
Audiat & tellus, intentaſque arrigat aures;
2 Quaeque damus, documenta animis, & ſenſibus imis
Indita concreſcant, veluti diſperſa per auras
Concreſcit pluvia e guttis collecta minutis;
Et noſtrum fluat eloquium, atque aſpergine mentes
Leniter irroret, ceu terram roſcidus humor,
Imber agros, tenues pubentia gramina guttae;
3 Quippe Deus mihi carmen erit; Nomenque vocabo
Sanctum, auguſtum, ingens; Haec noſtri exordia cantus;
Voſque adeo, quicunque eſtis, celebrate potentem
Voce Deum, noſtri decora inclyta tollite Regis.
4 Omnia ſunt, quaecunque facit, perfecta, ſuiſque
Et numeris, moduliſque, & pondere conſummata;

Conſilia & quaecunque capit, ſapiente reguntur
Omnia judicio; cunctis ſtat maxima dictis,
Promiſſiſque fides, & iniquae neſcia fraudis;
5 Jus Illi, rectumque placet: Tamen impia proles
Aſtrictam fregitque fidem, laeſitque Parentem
Degener; & multo ſordeſcens crimine, Patris
Dulce recuſavit nomen, ſibi maluit hoſtem.
Impia progenies, nec tanto digna Parente,
6 Haeccine pro meritis Domino maleſana rependis?
Haſne refers grates? Annon Pater Ille, tuuſque
Eſt Dominus, qui te primo poſſedit ab ortu,
Teque adeo genuit, ſuperaſque eduxit in auras?
7 In mentem veterum redeant exempla dierum,
Quaslibet aetates relege, ac genus omne tuorum;
Percontare patrem, Deus & quae fecerit, ille
Narrabit; res a proavis ſcitare vetuſtas;
Illi etiam Domini memorabunt geſta faventis.
8 Jam tum cum gentes varias dimiſit in oras,
Primaevamque patris ſobolem diviſit Adami;
Frugiferam certo partitus limite terram,
In tot diſtribuit partes, quot nomina gentis
Iſaciae, & domini poſt tempora longa futuri;
9 Ipſe autem populum ſibi legit ab omnibus unum,
Unaque Jacobi placuit, quam jure teneret,
Progenies, hanc Ille unam ſibi vendicat haeres.
10 Deſertas inter terras, atque horrida teſqua
Repperit hanc ſola paſſim regione vagantem:
Dux illi fuit Ipſe viae, deſertaque circum
Per loca deduxit, temereque incerta ſequentem
Lege ſua erudiit; Cuſtos diſcrimine in omni
Adfuit, ut vigili ſervatur pupula cura.
11 Ceu volucrum regina rudes pubente juventa
Edu-

Educit nido pullos, timidoſque, nec auſos
Credere ſe pennis, primos tentare volatus
Edocet, & ſuper ipſa volat, fulcitque, regitque,
Haud ſecus expandit magnas Pater optimus alas,
Et populum texit pavitantem, ac cuncta timentem,
Geſtavitque humeris, tutaque in ſede locavit.
12 Dux illi Deus unus erat, peregrina nec uſquam
Numina;
13 Tum demum pulcris in montibus illum
Conſtituit, pinguemque ſolo dedit ubere terram,
Ut laetas meteret ſegetes felicibus arvis,
Sugeret & venis ſilicum ſtillantia mella,
Atque oleum duri manans e viſcere ſaxi.
14 Pinguia praebebant non parcum armenta butyrum,
Lac tenerae pecudes, & raptos matribus agnos,
Lanigerique duces gregis inter ditia cretos
Paſcua Baſani, junctos grave olentibus hircis.
Tum veſcam frumenta dabant electa medullam,
Uva dabat ſuccum, ſecreta faece, meracum;
15 Dilectus nimis at populus pinguedine multa
Luxurians, craſſoque cutem diſtentus omaſo,
Indomitus veluti ſonipes, largaque ſagina
Exultans, lateri calces impingit herili;
Sic ille arrecta in Dominum cervice reluctans
Calcitrat, ac froenos, atque indignatur habenas,
Auctoremque ſuum, defenſoremque ſalutis
Deſerit, infiduſque alio ſe transfuga vertit.
16 Extera ſectantes falſorum monſtra Deorum
Nil metuunt juſtas accendere Numinis iras
Ritibus infandis;
17 Furiis pallentis Averni
Aras conſtituunt, ignotiſque impia Divis

Sacra ferunt, patrio, veroque negata Tonanti;
Huic nova ſuccedunt, aevoque inſueta priori
Numina, quae priſci nunquam coluere parentes.
18 Gens ſcelerata, Deum, cujus de munere vivis,
Linquere, & oblito potuiſti pectore Patrem,
Artificemque abolere tuum?
19 Proſpexit ab alto
Haec Deus, & juſtos concepit mente furores,
Quod nati immemores, ingrataque pignora, natae
Talia ſint auſi, rupitque has pectore voces:
20 Hos ego pacato non, ut prius, ore tuebor
Praeterea, faciemque, averſaque lumina condam.
Quin ubi ſumma dies, & ineluctabile tempus
Venerit, aerumnas, & fata noviſſima gentis
Immotis ſpectabo oculis: Perverſa propago
Hoc meret, inque pium minus officioſa parentem.
21 Illi commentis mecum contendere Divis,
Aemulaque inceſtis ſunt auſi altaria flammis,
Impuriſque adolere ſacris: Contendere contra
Ipſe quoque aggrediar, populumque aliena ſecutum
Accerſam, & ſtulta ſe relligione ferentem,
Adjungamque mihi, meaque ultro ad ſacra vocabo,
Quo rabies illorum animos, viſque aemula pungat.
22 Ardet enim, penituſque imas flammata medullas
Ira mihi exurit; vindex furit ignis, & illos
Corripit, inſequiturque, & tergo cominus inſtat,
Donec ad infernas ſedes, noctemque profundam
Detrudat miſeros, totos depaſcat & artus.
Serpet flamma ſequax, virides populataque campos
Germina comburet, montes mox rurſus in altos
Evadens, ſimul & ſtirpes, ſylvaſque vorabit,
Ejectans imis ſaxa eruta fundamentis.

23 Di-

23 Diluviem immenſam, tempeſtatemque malorum
Illorum capiti invergam, denſaſque ſagittas
Injiciens, gravida promam omnia tela pharetra;
24 Exanimata fame, paſſimque inhumata jacebunt
Corpora, vulturibus, diriſque volucribus eſca;
Saltibus erumpent tacitis, & opaca relinquent
Luſtra ferae, rabiemque acuent, denteſque cruentos
Artubus infigent; reptantia monſtra coibunt
In morſus, ſpiris ſinuati ingentibus angues
Corpora convolvent, ſpargentque in vulnera virus.
25 Nulla ſalus uſquam; Gladiis immanibus hoſtis
Moenibus inſtabit, cladem que minabitur urbi,
Turbabit clauſos pavor intra moenia cives;
Procumbent juveneſque ſimul, caſtaeque puellae,
Et ſenibus miſti infantes, non debilis illis
Aetas profuerit, non his cuſtodia matrum.
26 Tunc, ubi ſunt? dicam; neque enim veſtigia tanto
Ex populo ſupereſſe ſinam; fama ipſa peribit,
Infandumque aeterna prement oblivia nomen.
27 His adeo mora nulla foret; Differre merentum
Sed poenas ardens animis hoſtilibus ira
Suadet adhuc, tanta exultans ne ſe efferat hoſtis
Clade ſuper, dicatque: Potens haec omnia fecit
Noſtra manus, nec enim Dominus.
28 Gens ſtulta, carenſque
Conſilio incaſſum vano ſe nomine jactat.
29 O utinam ſaperent tandem, ac mortalia juſto
Pondere librarent, & fata noviſſima rerum
Proſpicerent, qualique vices ſeſe ordine volvant;
30 Qui fiat, vel mille viros non amplius unus
Ut premat, utque duo vel millia dena repellant!
Nonne ideo, a ſe diſtractos quod tradidit hoſti
Hos Deus, & manibus captos permiſit iniquis?

31 Non, velut imbelles, Illorum Numina, Divi,
Sic noſter Deus eſt: Ipſi pro teſtibus adſint
Perculſi toties memorandis cladibus hoſtes.
Nunc pingues foecunda ferunt vineta racemos,
Et laeto illorum frondeſcunt palmite colles:
32 Talia florebant Sodomis felicia quondam,
Inque ſuburbanis foedae vineta Gomorrhae;
At mox deciduis perierunt obruta flammis.
Quae ſic arboribus pendent ſublimibus uvae,
Felle tument, gravidos abſinthia tetra racemos
Inficiunt, fauceſque gravis tentabit amaror;
33 Et quae de plenis fervent undantia labris
Vina, venenato ſpumant liventia ſucco,
Serpentum & dira ſanie, taboque draconum
Lethifero, membris quod nulla abigatur ab arte.
34 An non haec, Deus inquit, ego mala condita ſervo
Me penes, has mea ſignatas aeraria clades
Non condunt, opportuno quas tempore promam?
35 Eſt punire meum, ac ſceleratas ſumere poenas;
Et ſumam, cum tempus erit; damnata ruinam
Gens trahet, & vaſto procumbet perdita caſu.
36 Jamque dies fatalis adeſt, jam triſtia curſum
Tempora feſtinant; Jam diſceptare ſuorum
Ipſe Deus cauſam properat: Miſerabitur aegros
Antiquo tandem mentem labefactus amore,
Cum cernet laſſaſque manus, & caſſa vigore
Brachia, cum fractos clauſa intra moenia cives
Ultima perpeſſos jam defeciſſe videbit,
Ac, ſi qui fuerant reliqui, queis parceret enſis,
Hos periiſſe fame, & diuturna tabe pereſos.
Aſt ubi jamdudum noſtro ſaturata cruore
In populos ultor vertet ſua tela profanos:

37 Nunc

37 Nunc ubi ſunt, dicet, quos relligione ſolebant
Tam ſancta colere, & queis tantum fidere, Divi?
38 Quorum toſta ſacris mandebant viſcera flammis,
Semiuſtumque adipem, pleniſque liquentia vina
Libabant pateris? Surgant nunc denique, vobis
Auxiliumque ferant, nunc denique rebus in arctis
Subveniant, voſque in tanto diſcrimine ſervent.
39 Diſcite Me ſolum Caelo regnare tonantem,
Nunc tandem, & nullum, Me praeter, Numen
habendum.
Cum libet, e medio raptos ſub Tartara mitto,
Cum libet, extinctos rurſus voco lucis in auras,
Vulneraque infligo, & quae feci, vulnera ſano,
Faſque manus nulli noſtras evadere.
40 Juro
Nunc adeo, attollens duplices ad ſydera palmas,
Noſtrum teſtatus Numen, vitamque perennem,
Qua fruor, aeternumque fruar:
41 Si fulguris inſtar,
Fulmineum exacuam gladium, ſi debita ſonti
Judicia exercere velim, tunc digna rependam
Hoſtibus, atque odiis qui me immortalibus urgent,
Praemia perſolvam.
42 Tunc ſanguine tela rubeſcent
Ebria, tunc carnes diſcerpet, & hauriet enſis
Inviſas, largumque bibet de caede cruorem,
Captivoſque alios inimica in vincula dedam
Geſtantes rigidas raſa cervice catenas.
43 Ne, gentes, inflate animos, verique Tonantis
Cultores laudate pios. Patietur inultos
Haud longum Ille ſuos; Effuſi ſanguinis ultro
Mox aderit vindex, poenas & ab hoſte repoſcet,
Praeſentique teget ſacras ſibi Numine terras.

CANTICUM ANNAE

Ex I. Reg. C. 2.

Exultavit cor meum &c.

Anna Elcanae uxor, poſt longam ſterilitatem, in qua a Phenenna, altera uxore, multas injurias perpeſſa fuerat, cum voto ad Deum facto Samuelem peperiſſet, carmen hoc Euchariſticum cecinit, in quo Deo gratias agit, Phenennae aemulae ſterili effectae inſultat, atque in ſua foecunditate Eccleſiae propagationem, in Phenennae ſterilitate Synagogae reprobationem praeſignat.

1 MAgno triumphant corda noſtra gaudio,
Deus mihi auctor gaudii.
Meum levavit Ille ad aſtra verticem
Huc uſque demiſſum ſolo.
Nunc ora laxat, provocatque ultro aemulos
Liberrima indignatio.
Per Te, Deus, pudore omiſſo, gaudeo,
Parta & ſalute glorior.
2 Non ſanctitate quiſque vel ſanctiſſimus
Conferre ſe audeat Deo.
Te praeter unum, nullus eſt uſquam Deus,
Qui ubique ſolus imperas.
Tecum queat nec quiſque vel fortiſſimus
Certare fortitudine.

3 Cave-

3 Cavete, magna praediceris, grandibus
Altum ſtrepentes vocibus;
Tandem loquelis temperate inanibus,
Quas venditaſtis hactenus.
Namque omnis auctor eſt Deus ſcientiae,
Scit Ipſe ſolus omnia;
Et, provida quaecunque mente cogitat,
Recto adminiſtrat ordine.
4 Arcus lacertis tela quondam fortibus,
Jaculatus, en torpet ſitu;
Et viribus defecta quondam brachia,
Novo invaleſcunt robore.
5 Pro comparandis ſe locarunt panibus
Prius ſaginati affatim;
Fameque membra qui trahebant languida,
Pleni affluente ſunt cibo;
Carebat infoecunda quae jam liberis,
Enixa nunc eſt plurimos;
Multaque prole quae ſuperba inceſſerat,
Moerens, & orba nunc gemit.
Adverſa, cum libebit, adducet Deus,
Et mox reducet proſpera;
6 Ad ipſa trudit pene Mortis limina,
Rurſuſque in auras evocat.
7 Depauperat, ditatque, ad ima deprimit,
Ad ſumma rurſus evehit.
8 Squalenti egentem ſublevat de pulvere,
Fimoque turpi pauperem,
Ut principum receptus in conſortium
In ſede celſa fulgeat.
Utrumque terrae cardinem Deus tenet,
Quo verſat orbis machinam.

9 Deus

9 Deus piorum ſulciet veſtigia,
Solos relinquet impios,
Qui ſe tenebris occulent, ſilentio
Merſi, pudoris indice.
Non fortitudo proderit cuiquam ſua,
Si laevus obſiſtat Deus;
10 Hoſteſque fractos gelidus inceſſet timor,
Ubi Ille, ruptis nubibus,
Caelum ciebit murmure horrendo tonans
Capita ſuper ferocia;
Cunctiſque late jura dicet gentibus
Fines ad orbis ultimos;
Suoque Regi maximum imperium dabit,
Quod meta nulla terminet;
Sacroque olivo delibutum tempora
Ad aſtra tollet gloria.

CANTICUM ISAIAE

Iſa. C. 12.

Confitebor tibi, Domine &c.

Cum Iſaias venturum Meſſiam praedixiſſet, Ejuſque dotes, ac pacatum regnum deſcripſiſſet, Judaeorum a captivitate diſperſorum reſtitutionem, gentium contritionem, utrorumque ad Deum converſionem praenunciaſſet, hoc Cantico communis Servatoris beneficia praedicat.

1 TE, clemens, memori carmine concinam,
Regnator Superum, quod merito meis
Iratus vitiis, jam poſita modum
Ira, tot ſtatuas malis.
2 Vindex ecce meus jam Deus advenit;
Jam fidens animi nil metuam mali;
Virtus Ille mea eſt, & mea gloria,
Ille eſt una mihi ſalus.
3 Jam non de riguis quaerite fontibus
Eductos latices; Aetherei ſcatent
Fontes, unde ſalus, vitaque profluit:
Haurite has hilares aquas.
4 Illa haec una die vox erit omnibus:
Laudes munifico ſolvite Numini,
Et Nomen precibus ter venerabile
Implorate frequentibus.

San-

Sanctaeque in populos ſpargite diſſitos
Mentis conſilia huc uſque recondita;
Vulgate & memores, Nominis inclyti
Quam celſum emineat decus.

5 Divinum Domino dicite canticum,
Factis magnificus qui patuit ſuis,
Qua luſtratque plagas ſol habitabiles,
Facta ingentia pandite.

6 At Tu prae reliquis gaudia concipe,
Fortunata Sion, laudibus & vaca;
Nam muris medius conſtitit in tuis
Ter Sanctus Deus Iſrael.

CANTICUM EZECHIAE

Ex Iſai. C. 38. v. 10.

Ego dixi in dimidio &c.

Ezechias Rex Juda anno aetatis 39. Regni 14., victo Sennacherib, cum ad mortem aegrotaſſet, & ſalutem a Deo, vitaeque annos 15. impetraſſet, hoc Canticum compoſuit, in quo primum ſe aegrotantem deſcribit, ac de mortis immaturitate conquerentem, cum praeſertim filiis careret, deinde Deo pro reſtituta ſalute gratias agit.

10 CUm mea lethifero languerent corpora morbo,
Nec mihi vivendi ſpes foret ulla ſuper:
Ergone, dum mediae nentur mihi ſtamina vitae,
Tartareas, dixi, cogor adire domos?

Qui reliqui fuerant, incaſſum optavimus annos;
Mors immaturos rumpit acerba dies.
11 Non ultra vivos inter ſacra limina viſam,
Conſpicuuſque ſua qui ſedit aede, Deum.
Non ultra dulces cernam, mea gaudia, cives,
Quos patrios intra pax beat alma lares.
12 Me geniti reſtant nec poſt mea funera nati;
Mecum una tota eſt noſtra ſepulta Domus.
Complicat excedens propere ut tentoria paſtor,
Sic mea jam ad metam ſtirps cito rapta venit.
Non ſecus, exorſae quam ſi ſubtemina telae
Textor, & inceptum forfice rumpat opus,
Ante diem noſtrae ſcinduntur ſtamina vitae,
Stamina fatali vix bene juncta jugo.
Vix primos vidi Phoebaeae lampadis ortus,
Obſcurante polum veſpere, nullus ero.
13 Aſt ego, producta longa inter taedia nocte,
Sperabam exorta gaudia prima die.
Sed, velut arreptos leo ſi diſcerpſerit artus,
Sic mea lethalis contudit oſſa lues.
Tum ſenſi, lucem mihi diluxiſſe ſupremam,
Jamque mea aeterna lumina nocte premi.
14 Vociferans, rauco ceu pullus hirundinis ore
Ingemui, aut qualis moeſta columba gemit;
Jamque oculis acies feſſis defecit, in altum
Lumina dum tendo fixa, precatus opem.
Uſuram repetens Mors inſtat acerba, diemque
Dura negat: Deus o, Tu mihi ſponſor ades.
15 Sed quos det praedes, aut quae vadimonia ſiſtat,
Cauſa ſit interitus cum Deus ipſe mei?
Averſum ut flectam, fletu male facta piabo,
Praeteritos recolens corde gemente dies.

16 Si

16 Si variant ſic fata vices, hic terminus haeret,
Vitaque ſi tali lege trahenda mihi eſt,
Qui mea ſublimi nunc caedis terga flagello,
Sorte dabis forſan proſperiore frui.
17 Interea, quo plus doleam, poſt bella peracta
Acrior en pacem turbat amarities.
At Tu jam precibus cedis, reddiſque ſalutem,
Meque immatura morte perire vetas.
Abjicis ex animo, quaecunque ego crimina feci;
Quae Tibi de noſtra gloria clade venit?
18 Non etenim taciti celebrabere vocibus Orci,
Nec Mors in laudes hiſcet itura tuas.
Qui ſemel infernas moriens deſcendit ad umbras,
Non manet, accipiant ut ſua dicta fidem;
19 Sed qui vivit adhuc, qui munere veſcitur aurae
Aetheriae, laudes concinet ille tuas.
Hoc ego agam, atque hujus celebrabo gaudia lucis,
Qua miſerum a mortis limine reſtituis.
Narrabit natis pater, (ac ſperare jubebit
Interea) ut veri ſis, fideique tenax.
20 Hanc, Deus, ex omni vitam diſcrimine ſerva,
Teque ſalutiferum tempus in omne canam;
Et Tibi votivos modulabor cantibus hymnos
Divinae celebrans atria ſancta Domus.

CAN-

CANTICUM TRIUM PUERORUM

Ex Dan. C. 3. v. 57.

Benedicite omnia opera &c.

In quo aliqua ab Eccleſia omittuntur.

Tres Juvenes Judaei Ananias, Miſael, & Azarias in captivitatem abducti a Nabuchodonoſor Rege Babylonis, quod recuſaſſent ejus ſtatuam adorare, in fornacem ardentem miſſi, nec ab igne laeſi, per mediam fornacem ambulantes hoc cantico Deum laudarunt, creata omnia ad ſimilem laudationem hortati.

57 QUaecunque ſummus Artifex
Produxit, Illi dicite
Laudes, Eumque ſaecula
Per cuncta in altum tollite.
58 Laudes, beati Caelites,
Dei fideles Nuncii,
Regi ſupremo dicite,
59 Pulchraeque ſedes Caelitum.
Et vos, aquae Caeleſtibus
60 Supernatantes orbibus,
61 Caeleſtiumque exercitus,
Deum ciere laudibus;
62 Et ſol diurna lampade,
Et luce Luna argentea;

63 Et ſparſa Caelo ſydera,
Laudate Fontem Luminis;
64 Imberque, & humor roſcidus,
Et vos, fugaces addidit
65 Queis Ille pennas, flamina,
Laudes Deo perſolvite;
66 Et vos calores ignei,
Aeſtas quibus ſuccenditur,
67 Hyberna voſque frigora,
Laudate Regem temporum;
68 Rores, pruina candida,
69 Geluque, & algor horridus,
70 Glacies, niviſque vellera,
Laudate naturae Arbitrum.
71 Noctes, dieſque praepetes,
72 Lux, & tenebrae, & nubila,
73 Et rupta nube fulgura
Laudate regnantem aethere.
74 Dei celebret gloriam
Haec tota terrae machina,
Ejuſque Nomen inclytum
Per cuncta laudet ſaecula.
75 Colleſque, Monteſque ardui,
Plantaeque, & omnis educat
76 Quaecunque tellus germina,
Ornate laudibus Deum;
77 Lymphaque fontes garrula,
78 Et maria rauco murmure,
Leni & ſuſurro flumina,
Deum ſonate laudibus;
79 Vos magna cete, caerulo
Quotquot natatis gurgite,

80 Quot-

80 Quotquot ſecatis aera,
Deum canendo extollite.
81 Ferae vagantes ſaltibus,
Pratis greges in mollibus,
82 Et cuncta gens mortalium,
Dei vacate laudibus.
83 Deo perennem gloriam
Gratus rependat Iſrael;
Eumque laudet, omnia
Et uſque & uſque in ſaecula.
84 Vos inſulis cincti ſacris,
Laudes praeite Numinis;
85 Devota tuque plebs Deo,
Laudes ſecuta ſuccine.
86 Deo, pii, mortalibus
Membris ſoluti Spiritus,
87 Virique mites, ac boni,
Libate laudum munera.
88 Dilecte Caelo Anania,
Fideque par Azaria,
Et par utrique Miſael,
Laudate veſtrum Vindicem;
89 Ejuſque laudes inclytas,
Ipſumque ad aſtra tollite,
Et ipſa ſupra ſydera,
Quotquot recurrent ſaecula (a).
Patri, & coaevo Filio,
Laudes, parique Flamini
Dicamus, ac per omnia
Unum canamus tempora.

(a) Haec habentur in ſcriptura; caetera ab Eccleſia ſunt appoſita.

Tu ſumma in arce ſyderum
Laudaris, o Rex Caelitum;
Laudatus, ac laudabilis
Aeterna ad uſque ſaecula.

CANTICUM HABACHUC

Hab. C. 3.

Domine audivi auditionem tuam &c.

Proximam Chaldaeorum in Palaeſtinam irruptionem, & Judaeorum ſub Nabuchodonoſor miſeram captivitatem praevidens Propheta, hoc Canticum effudit, in quo rerum atrocitate a Deo praemonſtrata perterritus, ejus miſericordiam implorat, quem & placatum iri ſibi auguratur ex iis, quae olim fecerat pro Judaeis Aegyptiaca captivitate liberandis, quae mox in ſimili fortuna renovanda confidit, atque ita liberationem humani generis per Chriſtum, ejusque futurum adventum obſcure quidem, ſed magnifice adumbrat.

2 AD me loquentem Te, Deus, audii;
Adhuc recenti mens trepidat metu:
Quae damna, quos cerno labores
Iſacidum capiti imminentes!
3 Ah parce, & annis viſa prioribus
Portenta, noſtri fac videant dies,

Fa

Et patribus conceſſa quondam
Nunc medium renova ſub aevum.
En audior. Curſu in medio vices
Anni novabunt: Jam Pietas tua
Se prodit, inque ipſo furore
Mitem animum Tibi dulce pulſat.
3 Aetas parentum laeta revertitur,
Deuſque mores en repetit ſuos:
En parte ab auſtrali profectus
Rurſus adeſt, & opaca Pharan (a)
Per ſaltuoſi culmina paſſibus
Deſcendit altis; Jamque operit polum
Verenda majeſtas utrumque,
Terra ſono fremit icta laudum;
4 Splendet coruſco lumine, lampadis
Ceu cum diurnae Sol jubar exerit;
Et fulminum vis igneorum
Tota ſedet rutilante Dextra;
5 Immenſa virtus condita ibi latet,
Unde Ille terras, & freta concutit;
Quacunque vadit, Mors cruento (b)
Praegrediens iter enſe ſternit.
Torva antecedit turba ſatellitum,
Emiſſa ab imo monſtra Erebi ſpecu,
Armata ferali flagello,
Et ſcelerum exitio parata.
6 At Ipſe in arvis conſtitit hoſtium (c),
Menſuſque longis illa decempedis,
Hero priori abjudicata
Iſaciis tribuit colonis.

(a) Deuter. 33. 2.
(b) Exod. 23. 27.
(c) Joſue 13., & ſequen. Act. 7. 45.

Gentes profanas vindice turbidus
Proſpexit ira: nec mora, corruunt
Tellure fuſae; ſubſidentes
Diſcutiunt juga ſumma montes
Immoti ab ipſa ſemper origine;
Celſique colles ſub domino pede
Se Regis Aeterni reclinant,
Atque viam faciunt eunti.
7 Noxas luerunt Aethiopes ſuas:
Tentoria illos bellica vellere
Vidi fugatos; Madianos
Explicitas glomerare pelles
Raptim involutas, & trepido metu
Turbata cerno caſtra; nec ordines
Nec ſigna ſervantes, Te premente,
Toto acies procul ire campo.
8 Quid? Numne tantus Te furor abripit,
Objecta contra ut flumina ſaevias,
Divine Vindex? Num nec ipſis
Fluminibus tua parcit ira?
Quin & marinos inſequitur furens,
Vertitque ab imo gurgite vortices?
Quid magna peccarunt fluenta,
Quidve ſali meruere fluctus?
Bello paratus jam ſuper igneos
Scandis jugales, jamque agitas tuas
Victor quadrigas, ſoſpireſque
Hoſte tuos domito reducis.
9 Juratus illis Te fore vindicem
Promiſeras multo ante, nec irritum
Dixti ſacramentum: Potentem
En ſinuas feriturus arcum.

10 Te

10 Te ſciſſa viſo flumina, montibus
Structis in altum, dividuas aquas
Concreta ſuſpendunt, dolentque
Praecipites inhibere curſus;
Mox expeditos volvere gurgites
Gaudent, relictas & repetunt vias,
Hinc inde jam diſceſſit aequor
Horrifico reboans fragore;
Stanteſque fluctus inſolita fremunt
Se vi teneri, tendere tum manus
Viſi ſupinas, attributa
Jura ſibi petiere reddi.
11 Sol ipſe Caelo, Lunaque conſtitit (a)
Tempus triumphis juſſa tuis dare;
Perterriti hoſtes verſa nudant
Terga fugae: Tua tela lucem
Dant diſſipatis, & tua fulgurat
Flammis per umbras haſta minacibus;
12 Terramque conculcans ſceleſtam
Ingrederis fremebundus ira;
Pallorque gentes, & ſtupor occupat
Tanto furoris turbine territas:
13 Tu victor incedis, tuiſque
Auxilio venis, & ſaluti;
Tecumque juſſum carpit iter tuo
Ductor refertus pectora ſpiritu,
Cui jura gentis, cui regendas
Iſacidum dederas habenas.
Jamque amputaſti primigenum caput (b)
Domus ſuperbae; concidit impia

(a) Joſu. 10. 13.
(b) Pharaonis Exod. 12.

Radicibus convulſa ab imis;
Et ſubita jacuit ruina.
14 Devota diris ſceptra ſolo abjicis,
Suoque ſtratos cum duce milites,
In noſtra jam damna irruentes;
Quale ruit per inane turbo.
Paeana, victis jam velut hoſtibus,
Laetum canebant, qualis in abdito
Si quis retruſus nil timentem
Aggrediens inopem trucidet.
15 At Tu frementes quadrijuges agens,
Undas aperta per medias via,
Tuis praeiſti; per lutoſum
Aridum iter patuit profundum.
16 Sed nunc minantem Te procul audio,
Et noſtra terror viſcera concutit;
Confuſa mens horret, retento
Lingua ſono tremebunda torpet.
Foedo putreſcant oſſa ſitu mea,
Totoque tabum corpore defluat,
Dum, tempore exacto malorum,
Tandem animo placidus quieſcam;
Noſtriſque jungar, cum reduces domos
Priſcas reviſent, & juga patria;
Vincliſque diffractis, cupitum
Suſcipient iter expediti.
17 Heu quantus inſtat luctus! Ut inſonat
Nimbus per auras exitio gravis!
Quae vaſtitas, qui ſqualor agris,
Quanta hominum, pecudumque clades!
Tunc nulla laetis germina ficubus,
Floreſque ſurgent, nullaque vitibus
Gem-

Gemma intumeſcet, palmiteſque
Vinea non pariet feraces.
Non curva baccis brachia porriget
Oliva mendax, non ſegeti fides
Conſtabit, & ſpem pertinacis
Agricolae ſine fruge fallet;
Suis abactus grex ab ovilibus
Haud nota perget carpere paſcua,
Praeſepibuſque armenta nullis
Fronde famem, ſtipulaque pellent.
18 Verum benignus me recreat Deus,
Mea Ille ſemper gaudia nutriet;
Stat tota in Illo ſpes ſalutis,
Semper erit meus Ille cantus;
19 Mea Ille virtus, robur & unicum,
Unumque tantis effugium malis;
Quae ſoſpes ut vitem, fugaci
Crure dedit ſuperare cervos;
Victorque montes in patrios aget,
Ducetque ſedes viſere priſtinas,
Grato triumphales cientem
Ore modos, habilique plectro.

CAN-

CANTICUM ZACHARIAE

Ex Luc. C. 1. v. 68.

Benedictus Dominus Deus Iſrael &c.

Nato Joanne Chriſti Praecurſore, Zacharias ejus pater has laetitiae voces edidit, quibus Deo de Meſſiae adventu gratias agit, ſuoque Filio tam excellens officium parandi Domino plebem perfectam gratulatur.

68 EUge, Rex Sancti, Deus, Iſraelis
Prodiit ſummo veniens olympo,
Et ſuae ingenti pretio redemit
Vincula gentis.
69 Reddidit certam, ſtabilemque nobis,
Fracta quae quondam jacuit, ſalutem,
Stirpe ab illuſtri Sibi dedicati
Davidis ortam.
70 Ipſe ſic olim cecinit futurum
Ore ſanctorum ſato ab orbe Vatum,
Quos ſui afflatos animavit alma
Numinis aura:
71 Nos frui firma daret ut ſalute,
Hoſte proſtrato, manibus protervae
Gentis ereptos, odiumque diro
Corde foventis.
72 Hac Patres olim pietate noſtros
Ille ſolatus, repetenſque mente

Foedus antiquum, ſua verba certo
Pignore firmat.
73 Haec Patri quondam dedit Abrahamo
Dicta juratus, fore cui recepit,
74 Noſtra ut hoſtili recreet ſoluta
Corda timore;
Noſque Caeleſti Domino obſecuti,
Grata geſtemus juga ſervitutis,
75 Sancta ſectantes opera, ac tenaces
Juris, & aequi;
Ejus & nullis violemus ora
Improbe factis, oculoſque longe
Cuncta ſpectantes, data penſa donec
Vita revolvet.
76 Tuque vitales modo fuſe in auras
Macte virtutis Puer; Ipſe Vates,
Ipſe Divinus proprio ſereris
Nomine Praeco.
Strenuus Regis ſuperi Satelles
Dia praecurres venientis ora,
Et viam ſternes, adituſque recto
Limite pandes.
77 Tu dabis lecta documenta plebi,
Niti ut ad certam ſtudeat ſalutem,
Expiet noxas, veniamque pravis
Impetret auſis.
78 Hoc Dei ſpondet Pietas, Patriſque
Viſcera humanos miſerata caſus,
Ut Velit noſtras oriens ab alto
Viſere terras,
79 Quo diem caecis referat, ſepulti
Qui diu tetra jacuere nocte,

Et regat noſtros per amica pacis
Compita greſſus.

CANTICUM B. M. VIRGINIS

Ex Luc. C. 1. v. 47.

Magnificat anima mea &c.

Cum Maria Virgo, Filio concepto, Eliſabeth inviſiſſet, ejuſque gratulationem excepiſſet, in hoc Canticum repente erupit, in quo Dei in ſe dignationem, effuſam in omnes gentes miſericordiam, Judaeorum reprobationem, gentium vocationem exequitur.

47 IN Dei aſſurgit ſtudioſa laudes
Mens mea, exultant mea corda dulci
Gaudio; noſtrae Deus hoc ſalutis
Excitat auctor.
48 Ille reſpectans humilem benigno
Lumine Ancillam, mihi dulce riſit;
Inde ter felix veniente ſemper
Dicar ab aevo.
49 Ille me largo decoravit auctam
Munerum cenſu; mihi magna fecit
Rex potens idem, proprioque Sanctus
Nomine dictus.
50 Ejus ex alto Pietas profecta
Fonte in humanum genus omne fluxit;

Quiſquis offenſam metuens, verendum
Numen adorat.

51 Brachium exertans validum, potentes
Protulit vires; Retudit protervae
Spiritus frontis, tumidoſque preſſit
Sub pede faſtus.

52 Quique ſublimi populos premebant
Sede ſubnixi, ſubita hos ruina
Egit in praeceps, humileſque in illa
Sede locavit.

53 Pauperes, rebus poſitoſque in arctis
Fecit immenſis opibus beatos,
Quique ſe immenſis opibus ferebant,
Fecit inanes.

54 Jam ſibi obſtricti genus Iſraelis
Mitis excepit; ſubiitque menti
Illa, quae ſemper pietas ſub alto
Pectore ſedit.

55 Ipſe ſic noſtris cecinit futurum
Patribus, fido dedit haec Abramo
Ipſe promiſſa, & generi futuro
Omne per aevum,

CAN-

CANTICUM SIMEONIS

Ex Luc. C. 2. v. 29.

Nunc dimittis &c.

Cum Maria Virgo Puerum Jeſum Domino ſiſteret, Simeon pius ſenex a Spiritu S. praemonitus, fore ut, ante quam vita excederet, natum videret Meſſiam, Divinum Infantem in ulnas excipiens, ſibi tantum munus gratulatur, nec quicquam ſibi in vita amplius optandum ratus, jam mori poſtulat.

29 NUnc jam corpore liberam
Hanc mittes animam; Claudere nil moror
Extremum placide diem,
Rerum Summe Parens, polliciti fidem
Cum Tu praeſtiteris tui.
30 Praeſentem hiſce oculis cernere contigit,
Quae a Te miſſa venit ſalus;
31 Jamque haec eſt populis propoſita omnibus,
Cunctorumque oculis patet.
32 Hoc Lumen tenebras diſcutit, & diem
Affert gentibus auream,
Adjectum Iſacidis grande decus tuis.

Quae conſequuntur Cantica in extremum locum rejecta ſunt, propterea quod in Eccleſiaſtico Officio non legantur.

CANTICUM DEBORAE

Ex Jud. C. 5. v. 2.

Qui ſponte obtuliſtis &c.

Proſtrato Siſara, duce exercitus Jabin Regis Chananaei, Debora cum Barac Hebraeorum duce, quem ipſa ad bellum excitaverat, & proſecuta fuerat, canit Epinicium, in quo Deo victoriae auctori gratias agit, Hebraeas Tribus, quae bello interfuerant, collaudat, caeteras, quae abſtinuerant, carpit, Jahelem celebrat, quae Siſara interfecto, bellum confecerat.

2 ISacidum fortes Animae, devota periclis
Pectora, quas non vis terruit ulla necis,
Dicite io Domino Laudes:
3 Advertite, Reges,
Huc aures, magni haec condite mente, Duces.
En ego ego ipſa canam Dominum, noſtraeque ſonabunt
Fila lyrae, Iſacidum qui regit arma, Deum.
4 Quantus eras, patuit, Deus, alto e vertice Seir (a)
Cum per Idumaeas ingrederere plagas.
Concita contremuit tellus, ac nubibus atris
Turbidus immenſae decidit imber aquae,
5 Tabuerunt montes liquefacti ante ora Tonantis,
Defluxitque alto a culmine Sina ruens.

(a) Exod. 19. & Deuter. 33. 2.

6 Cum deſperandum tanto Duce, & Auſpice tanto
Nil foret, atque animos facta priora darent;
Cumque futurus adhuc dux bella per omnia Samgar
Viveret, & geſta ad fortia nata Jahel,
Ut pavitans latuit Judas, omniſque quievit
Nullo incedentum ſemita trita ſolo!
Si quis prodire eſt auſus, per devia greſſus
Flexit, & obliquo tramite carpſit iter.
7 Nullus in Iſacidis ſumptis erat utilis armis,
Otia vel patria lentus agebat humo;
Debbora dum magnis dux foemina ſurgeret auſis,
Surgeret Hebraea in gente futura parens.
Inſtituit nova bella Deus, nova tela recudit,
Hoſtileſque nova contudit arte minas.
8 Ipſe iniit pugnam, quibus & ſe incluſerat hoſtis,
Ipſe ſua evertit ferrea clauſtra manu.
Quadragena licet prodirent millia, nullus
Iſacidis clypeus, nulla vel haſta fuit.
9 Hebraei Proceres, genus inſuperabile bello,
O amor, o cordis cura decora mei,
Qui magnis objeciſtis vos ſponte periclis,
Carmina victori dicite digna Deo.
10 O qui jumentis, Proceres, equitatis obeſis,
Suntque quibus trepidi credita jura fori,
Quique infeſta modo, nunc compita tuta tenetis,
Inclyta belligeri dicite facta Dei.
11 Hic, ubi colliſae hoſtiles periere quadrigae,
Exitioque acies interiere pari,
Vindicis hic juſtae memorentur Numinis irae,
Inque ſuos pietas ſignificata duces.
Venit ad infenſas populus, duce Numine, portas,
Et domito exuvias victor ab hoſte tulit.

12 Sur-

12 Surge age, ſurge ferox age Debbora, ſurge virago;
Surge, triumphali carmina pange ſono;
Tuque adeo ſurge, o Barac, ſate Abinoe, ſurge,
Duce catenato corpora capta pede.
13 Relliquiae populi ſunt victo ex hoſte receptae,
Ipſe Deus fortes movit in arma manus.
14 Pugnabant Ephraimi acies, ſed ſtabat ab illis
Dux Deus; hoc Amalec caeſus ab hoſte ruit.
Beniamis inſtabat, ſed vis te, Amalece, premebat
Major, & ipſe Deus militis inſtar erat.
Venere e Machir, nec non Zabulonis ab oris,
Educturi acies in fera bella, Duces.
15 Iſſachar invictas junxit tibi, Debbora, turmas
Juratas Barac impigra ſigna ſequi;
Ipſe autem impavidus diſcrimina in omnia praeceps
Se dedit, objectam certus obire necem.
Scinditur ambiguus ſtudia in contraria Ruben,
Increpat & virtus vivida vulgus iners:
16 Quid ſtas? in partes animum quid dividis ambas?
Cur dubio pendes inter utrumque gradu,
Hic, ubi te patriae retinet maleſana cupido,
Et vox balantum perſtrepit aure gregum?
Diſſidet at Ruben ſtudiis diſtractus iniquis,
Et certat virtus aemula deſidiae.
17 Trans quoque Jordanem Galaad piger abſtinet armis,
Deſes & in patriis otia carpit agris.
Mercibus oppletas Dan ducit in aequora puppes,
Dumque ineunt alii praelia, lucra petit;
Littora avarus Aſer habitat, portuſque frequentat;
Hae ſunt illi acies, haec modo caſtra placent.
18 At Zabulon, & Nephtalidae in regione Meromes
Nituntur pulchra quaerere morte decus.
In-

19 Inſenſi coeunt Reges, Martemque fatigant,
Conſertaque gerunt praelia dira manu.
In Tanacho inſtaurant Chananaei bella tyranni,
Mageddo placidis culta ubi findit aquis.
Sed ſpoliis quamvis inhient haud ſanguine ſiccis,
Non ſequitur cupidas praeda petita manus.
20 Conjuratus enim contra illos militat aether,
Miſſus & e Caelo ad claſſica miles adeſt.
Ordine lapſa ſuos peragunt dum ſydera curſus,
In Siſaram infeſto lumine bella gerunt.
21 Jamque rotat torrens dejecta cadavera Ciſon,
Ciſon (a) antiquis nobilis amnis aquis.
Nunc age, mens, tanta jamdudum paſcere caede,
Contere robuſtos ſub pede laeta viros.
22 Profuit effuſas quid equis permittere habenas,
Cum fugeret, melior quiſquis ad arma fuit.
Ungula currentes ſaxis impacta fefellit,
Planxit & excuſſus corpore ſeſſor humum;
Praecipiteſque equites per & invia, & avia rapti
Ocyus incurrunt funera, quae fugiunt.
23 At male ſit, clamare, tibi, Merotia tellus;
Sic Ales ſupera miſſus ab arce jubet.
Totam execrati diris inceſſite gentem,
Quae damnata Deo rura, lareſque colit.
Non illa auxilio Dominum in certamine juvit,
Agmina non lata fortia juvit ope.
24 At tibi, foemineos inter celeberrima coetus,
Digna Haberis conjux, ſit bene, magna Jahel.
Sic quando merita eſt, bona cuncta precaminor olli,
Quamque tenet, fauſta perſonet aula prece.
25 Siſara feſſus aquam petiit, lac obtulit ipſa,
Nobili & in phiala fuſa coloſtra dedit.

(a) Cadumim, i. e. antiquus.

16 Dormiit: En laeva clavus properante trabalis,
Fabrilis dextra malleus arripitur.
Vulneris ecce locum ſopito in vertice quaerit,
Tum librat, & ferro tempora tranſadigit.
17 Inter crura ruit, vitam cum ſanguine fundens,
Ejus & exanimis volvitur ante pedes,
Donec eum ſuprema quies, & ferreus urget
Somnus, & infelix, ac ſine honore jacet.
18 Mater at ex alta proſpectans ſaepe feneſtra
Luctiſono longas increpat ore moras.
Saepe etiam ſummis effatur ab aedibus: Heu quid
Quid nondum currus huc agit ille ſuos?
Cur tantum ceſſant lenti ſine more jugales,
Nec ſpatia admiſſae corripuere rotae?
19 Tunc nuptas inter ſapientior una: Quid, inquit,
Te crucias, mater, quaeve pericla times?
20 Nunc ſors exuvias, ſpolia & partitur opima,
Forſitan & nobis optima quaeque parat;
Captivaſque inter formoſo corpore praeſtans
Eligitur, tanto quae famuletur hero.
Et pictae Siſarae veſtes traduntur, & aurum,
Debita magnanimo praeda futura viro.
Plurima congeritur gemmarum, aurique ſupellex,
Torquibus ut niteant colla decora novis.
21 Sic quotquot te odiis, Deus, inſectantur iniquis,
Diſpereant, tali crimina clade luant.
At te quotquot amant, claro fulgore niteſcant,
Exoriens rutilo Phoebus ut ore nitet.

CANTICUM DAVIDIS

Ex 2. Reg. C. 1. v. 18.

Conſidera Iſrael &c.

Saule, & Jonatha extinctis, David, ut in morte Principum, epicedium canit, in quo totum Iſraelem ad luctum invitat ob mortuorum virtutes, quas laudando commemorat, & praecipue Jonathae.

18 QUae tibi cauſa ſubeſt juſti, Jadaea, doloris,
Volve animo, & quales mors tulit atra viros!
19 Hei mihi quanta tuis eſt montibus edita clades!
Hei mihi quam claro ſanguine terra rubet!
Montibus his cecidit cuncti decus Iſraelis,
Et potuit? Fortes hic cecidere Duces?
20 Haec cave Gethaeas didatur fama per urbes,
Perque Aſcalonis compita laeta volet,
Dira Philiſtaeae capiant ne gaudia nuptae,
Barbaricas hilarent neu mala noſtra nurus.
21 At vos Gelboici, ſcelerata cacumina, montes,
Caſſa ubi vitali corpora luce jacent,
Nec ros mane novo foecunda aſpergine lactet,
Nec pluvius placido Juppiter imbre riget;
Nec veſtris primae fruges oriantur in agris,
Inque ſolo ſterili gleba putreſcat iners;
Namque illic parma fortes cecidere relicta,
Atque ſuus Saulem deſeruit clypeus.

Quid regale decus, ſacro aut frons oblita olivo
Profuit? Heu turbae mors facit aequa parem.
22 Occidit & Jonathas, quem nunquam miſſa ſefellit,
Nec rediit nulla caede ſagitta rubens.
Sed fortes aggreſſa, imamque recepta ſub alvum
Conſtitit, & ferro ruptus adhaeſit adeps.
At neque Saul unquam gladium vibravit inanem,
Quin multo imbueret ſanguine victor humum.
23 Occubuit Saul, & Jonathas; cum prole decora
Occubuit fato non meliore pater.
Pulcher uterque fuit, nec amari indignus uterque,
Unaque mors jungit, quos modo junxit amor.
Quam rapidis aquilae nituntur in aera pennis,
Quam valido tentat robore bella leo,
Tam celeres illi fugientum caedere terga,
Tam fortes valida bella ciere manu.
24 Vos quoque Judaeae gemitus effundite matres,
Exanimi Regis Manibus inferias.
Qui vobis Tyrio ſaturatas murice veſtes,
Atque illuſa auro texta ſuperba dabat,
Ille informe ſolo jacet, ac ſine nomine corpus,
Cumque illo Regni gloria tota jacet.
25 Qui potuit triſti fortes mors perdere bello?
Qui potuit virtus tam generoſa mori?
Infelix Jonathas! Tingit nunc ſanguine montes,
Friget & inviſo in vertice truncus iners.
26 Te doleo in primis, Jonatha; Te, Frater, adempto,
Dimidia videor parte carere mei.
Heu formoſe puer, majori & dignus amore,
Foemina quam pictis conſpicienda genis!
Diligit ut tenerum mater, ſua viſcera, natum,
Sic tibi concordi junctus amore fui.

11 Qui cecidit praeſtans invicto robore virtus,
Quive ſolo belli fulmina ſtrata jacent?

TOBIAE MONITA AD FILIUM

Tob. 4. v. 2.

Audi fili mi &c.

Cum ſe crederet moriturum.

2 NAte, meis adhibe pronas hortatibus aures,
Atque alto Patris voces ſub pectore conde.
3 Cum Deus hos anima exangues ſeduxerit artus,
Frigida membra ſolo manda; Tum debita Matri
Officia, & dignum, dum vita ſuperſit, honorem
Ex animo factis, dictiſque adhibere memento,
4 Multa memor tecum verſans, quae, & quanta pericla,
Quantaque pertulerit denos faſtidia menſes.
5 Aſt ubi conceſſos etiam ipſa peregerit annos,
Fac mecum exanimis tumulo condatur eodem.
6 Tum, quotquot tua vita dies numeraverit, alta
Mente Deum reputa; atque omni ratione caveto,
Ne te peccandi rapiat veſana libido,
Noſtri ut tranſilias Domini praecepta, Deique.
7 Quas tibi res fortuna dedit, largire petenti,
Et faciem nullo avertas a paupere; quod ſi
Feceris, averſo nec te Deus ore repellet.
8 Eſto pius, prout ſe dederit tibi copia; Multum

9 Si

9 Si fuerit, multum quoque da rerum omnium egeno,
Sin modicum fuerit, modicum impertire libenter:
10 Praemia magna feres pietatis, opeſque recondes
Sorte tibi ex uſu mox in graviore futuras:
11 Strips inopi collata admiſſa piacula ſolvit,
Nec patitur Mortis durae implacata ſubire
Jura, nec infauſtas animam deſcendere ad umbras.
12 Quod quiſquam miſeris impenderit, eſſe quieto
Ipſum animo, mitemque Deum ſperare jubebit.
13 Nate, cave, ad vetitos ne te laſciva voluptas
Pertrahat amplexus, te nullaque, conjuge dempta,
Foemina pelliciat, crimen neu noveris ullum;
14 Neu nimis elatos animos, faſtuſque tumentes
Mente fove tacita, nec dictis prode ſuperbis.
Inde etenim exitium fluxit, labeſque malorum
In noſtrum genus, & caſu nos merſit acerbo.
15 Si quis opus faciat tibi, nullas necte morandi
Cauſas, quin dicto mercedem tempore ſolvas,
Et nunquam pretium exhauſti patiare laboris
Te penes haerere, & longum torquere petentem;
16 Ne in quenquam admittas, quae in te commiſſa doleres;
17 Quam tu dente teris cererem, partire benignus
Cum miſeris, quos longa premunt jejunia ventris,
Quoſque arctis vexat maleſuada in rebus egeſtas;
Quaſque domi ſervas veſtes, his nuda tegantur
Corpora, quo gelidae defendant frigora brumae.
18 Ad tumulos, ſita Juſtorum quibus oſſa quieſcunt,
Libaque rite feras, & ſacri pocula vini (a);
Appoſitas miſtus ſed parce nocentibus eſcas
Mandere, & inceſtos cyathis haurire liquores?
19 Quidquid agas, ſemper ſapientes conſule, Semper

(a) Eccl. 30. 18.

20 Pange Deo laudes, precibuſque enitere multis;
Ut mores regat Ille tuos, tuaque omnia in Illum
Spectent conſilia, atque illo vertantur in uno (a).
23 Ne timeas, mi nate; inopem traducere vitam
Nobis ſorte datum; ſed plurima ſuppeditabunt
Commoda, ſancta Dei ſi juſſa verebimur, atque
Omne nefas viſo pejus vitabimus angue,
Et quidquid fas, ac rectum ſuadebit, agemus.

TOBIAE CANTICUM

Tob. 13.

Magnus es &c.

Cum filio, ac viſu recepto, Raphaelis Angeli monitu Deo pro beneficiis gratias ageret.

1 MAgnus es, aeternum, Deus, uſque futurus
in aevum,
Perpetuoque tuum cuncta ultra ſaecula Nomen
Permanet.
2 Elato Tu noſtra in terga flagello
Acrior interdum inſurgis, mox mitior ira
Jam poſita parcis, ſalvoſque a morte reducis,
Viſus ad infernas miſeros detrudere ſedes,
Mox iterum ſuperas reduces revocare ſub auras.
Nec quiſquam eſt, terrae totus qua panditur orbis,
Qui valeat dextrae vim devitare potentis.

3 Eja

(a) Aliqua omittuntur.

3 Eja agite, & dignas Domino perſolvite grates,
Iſacidum genus, & ſpectantibus undique circum
Gentibus, Illius laudes celebrate canendo;
4 Non etenim temere profugos, patriaeque caducae
Sedibus extorres Superum gravis ira profanos
Per populos errare dedit, ſparſoſque repoſta
Viſere terrarum, qua Caelo nulla tonantem
Gens novit regnare Deum: Fuit haec fuit olli
Mens, hoc conſilium, ut populos vulgetis in omnes,
Quae mira Ipſe facit, vobis & barbara regna
Teſtibus ediſcant, nullum ſuper aſtra ſedere,
Praeter Eum, nullumque aliud poſſe omnia Numen.
5 Ille fuit, qui nos inflicto vulnere ſontes
Perculit, erratis nos juſtam armavimus iram;
Ipſe autem propria victus pietate remittet
Vindictam, afflictamque dabit reparare ſalutem.
6 Cernite, & exemplis jamdudum aſſueſcite noſtris
Ultorem ſcelerum colere, ac trepidare paventes
Iratum, & poenas culpis aequare minantem;
Et late Dominantem orbi per ſaecula Regem
Officiis celebrate piis, factiſque pudicis.
7 Aſt ego, captivum quanquam me barbara dudum
Terra tenet, meritas Illi laudeſque, decuſque
Perſolvam, genti quando placatus iniquae
Indulſit miſerans, majeſtatiſque verendae
Non dubitanda dedit tam grandi pignore ſigna.
8 Vos igitur, quos mens ſcelerum ſibi conſcia torquet,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Regem
Omnia ſpectantem, cujus praeſentia ſanctam
Urgeat ire viam; nam vos quoque fidere fas eſt
Tam miti Domino, qui vos pietate refectos,
Auxilioque ſuo in rebus ſolabitur arctis.

9 Verum ego, quique meos ſuſtentat ſpiritus artus,
Gaudia concipiet; Deus haec dat gaudia nobis.
10 Concelebrate Deum, Caelo dilecta propago,
Quotquot ubique eſtis, luces agitate ſerenas
Laetitia, feſtaſque Deo perſolvite laudes.
11 Tu quoque, Sancta Sion, ſummo Urbs chariſſima Regi,
Surge age: quod tanta fueris convulſa ruina,
Culpa tua eſt, tua facta Dei vindicta piavit;
12 Sed nunc ſolve Deo grates, meliora reduxit
Qui tibi fata; tuis ſuper aethera laudibus illum
Tolle Deum, cujus volvuntur ſaecula nutu,
Quo tibi placatus jubeat ſibi ſacra reponi
Limina, & everſum rurſum in te ſurgere templum,
Abductoſque tuos in barbara vincula cives
Ad patrias revocet ſedes, tum gaudia laetae
Pacis agas, ſerum non interitura per aevum.
13 Stat fatis praeſcripta dies, cum ſplendida multa
Luce renidebis, cunctique e finibus orbis
Ad tua ſe curvae ſternent veſtigia gentes.
14 Ignotae advenient extremo a limine terrae
Munera portantes populi, Regemque Deorum
Rite colent, ſedes intra tua tecta tenentem;
15 Ejus & auguſtum dum ſupplice voce vocabunt
Nomen, ab auguſto tu Nomine tota ſonabis.
16 Qui merito non te fuerit dignatus honore,
Protinus ultrices aderunt in limine Dirae
Poenam poſcentes, damnatuſque impia pendet
Supplicia, in te jactabit convicia quiſquis.
Sed contra quicunque novo molimine muros
Auxerit, addideritque tuis faſtigia tectis,
Ille beatus erit;
17 Tu laeta proſpera prole,

Caeleſti aſpicies cumulatos munere natos
Confluere ad ſummi penetralia ſacra Tonantis.
18 Felices, qui te digno amplectuntur amore,
Quique ſuper parta jungunt tibi gaudia pace.
19 Tuque adeo Divum ſolemnia carmina Regi
Dic anime; Ille ſuae quando inclyta tecta Sionis
Eripuitque malis, & tuta pace beavit.
20 O ego ter felix, illa ſi aetate ſuperſint
Relliquiae generis noſtri, videantque Sionis
Egregium decus, ac florentem laudibus Urbem:
21 Sapphiro illius portae, viridique ſmaragdo
Diſtinctae collucebunt, quaeque undique ſeptam
Circumeunt, poſitis radiabunt moenia gemmis;
22 Sternentur niveo fora marmore, candida paſſim
Mundities, paſſim vicis votiva ſonabunt
Carmina, Divinum cantu (a) laudantia Nomen.
23 Gloria ſit Domino terrarum, Urbiſque Parenti,
Tantorum authori decorum; ſic maximus illam
Rex proprio regat imperio, cui nulla nocere
Saecula volvendo valeant, nec ponere metas.

(a) Alleluia. i. e. laudate Dominum.

CANTICUM JUDITH

Judith 16. v. 2.

Incipite Domino &c.

Quod, Holoferne obtruncato, Aſſyriis fugatis; Bethulia liberata, ipſa cecinit Deo.

2 JAm nunc feſta Deo pellite tympana,
Et cantus reſonis jungite cymbalis,
Inſuetum numeris egregiis melos
Magno fundite Nomini.
3 Unus Bellipotens comprimit omnium
Bellorum ſtrepitus, armaque conterit;
Eſt Illi Dominus Nomen, & Illius
Quam late imperium patet!
4 Sed Ductor populi ſtat medius ſui;
Arma hic, caſtraque habet, cunctaque milites
Ad dura oppoſitos, nos ut ab omnibus
Circummuniat hoſtibus.
5 Arctois veniens montibus Aſſurus
Deſcendit, validas ſecum acies trahens;
Tardarunt fluvios agmina, crebraque
Valles condidit ungula.
6 His ibat minitans ſpargere finibus
Flammas, & juvenes ſternere caedibus,
Et matrum pueros abſtrahere e ſinu, &
Captas ducere virgines.
7 Aſt illi omnipotens exitio Deus
Venit, foemineas & dedit in manus:
Tunc imbelle librans Foemina brachium
Ictum vulnere perdidit.

8 Non ad bella alacri ſub juvenum manu
Dux pugnans cecidit, nec capita ardua
Titanes piceis nubibus abditi
Confoſſum dederunt neci;
Non vaſta oppoſitis mole gigantibus
Congreſſus periit: Foemina, Foemina,
Meravi ſoboles, Juditha perdidit
Vultus illecebris ſui.

9 Nam triſtes habitus depoſuit, thori
Jam teſtes vidui, pulchraque protulit
Ornamenta, quibus laetificos dies
Judaeae celebrant nurus.

10 Unguentis faciem levit olentibus,
Criſpataſque mitra compoſuit comas,
Induxitque novam circa humeros ſtolam,
Blandos necteret ut dolos.

11 Oſtro tincta pedum vincula mollium
Ceperunt oculos; forma decens ſibi
Ipſum ſubripuit: Stricto at acinace
Illa atrum caput abſtulit.

12 Perſae talem animum foemineo in ſinu
Mirati, ſubito membra rigent metu,
Et Medi inſolitum foeminea in manu
Robur credere vix queunt.

13 At poſtquam trepidos, atque humiles metu
Abſumptoſque ſibi, moenibus egredi
Cives aſpiciunt, Aſſyria inſonant
Magnis caſtra ululatibus.

14 Nudant terga fugae, tum fugientibus
Illudunt pueri, tergaque ſauciant;
Inſtat namque Dei vultus, & ultimo
Illos excidio premit.

15 Er-

15 Ergo belligeri pangere Numinis
Laudes, & modulos inſolito decet
Inſtaurare ſono: Debita Numini
Noſtro dicite carmina.
16 Magnus quippe, Deus, magnus, & inclyta
Es virtute potens, nec ſuperabilis,
Quaecunque objiciant ſe Tibi, viribus,
Ulli cedere neſcius.
17 Per Te cuncta vigent: Omnia ſerviant
A Te facta Tibi; Numine nam Tuo
Exiſtunt, tenuem vocis & ad ſonum
Vitae in lumina prodeunt.
Aura educta Tua, ceu genitalibus
Surgunt ſeminibus. Quis valeat Tuis
Obniti imperiis, quiſve reſiſtere
Voci ſuſtineat Tuae?
18 Quandocunque voles, culmina montium
Imo emota ſolo concutient aquas,
Tenuata ante tuos ſaxa oculos fluent,
Cera ut liquitur ignibus.
19 At quicunque pio Te trepidi metu
Obſervant, meritis undique honoribus
Auctos, judicio rebus in omnibus
Magnos efficies Tuo.
20 Illis peſſime erit, qui genus in meum
Infeſtis agitent praelia viribus;
Ultor namque aderit, juſtus & in ſuo
Judex tempore puniet.
21 Flammis foeda dabit corpora edacibus,
Arrodenda avidis undique vermibus:
Urentur miſeri, & vulnera ſentient
Per volventia ſaecula.

FINIS CANTICORUM.

INDEX ALPHABETICUS PSALMORUM.

A

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. 119.	Pag. 294.
Ad Te Domine levavi animam meam. 24.	50.
Ad Te, Domine, clamabo. 27.	57.
Ad Te levavi oculos meos. 122.	298.
Afferte Domino Filii Dei. 28.	58.
Attendite popule meus. 77.	178.
Audite haec omnes gentes. 48.	108.

B

Beati immaculati in via. 118.	281.
Beati omnes, qui timent Dominum. 127.	305.
Beati, quorum remiſſae ſunt. 31.	66.
Beatus, qui intelligit ſuper egenum. 40.	90.
Beatus vir. 1.	1.
Beatus vir, qui timet Dominum. 111.	270.
Benedicam Dominum in omni tempore. 33.	71.
Benedic, anima mea, Domino, & omnia, 102.	240.
Benedic, anima mea, Domino; Domine Deus. 103.	243.
Benedictus Dominus Deus meus. 143.	335.
Benedixiſti Domine. 84.	199.
Bonum eſt confiteri. 91.	218.

C

Cantate Domino canticum novum, cantate. 95.	226.
Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia. 97.	231.
Cantate Domino canticum novum, laus. 149.	344.
Caeli enarrant gloriam Dei. 18.	37.
Confitebimur tibi Deus. 74.	171.

Con-

Confitebor Tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia. 9.	*Pag.* 14.
Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in conſilio. 110.	268.
Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam. 137.	320.
Confitemini Domino, & invocate. 104.	248.
Confitemini Domino, quoniam bonus I. 105.	251.
Confitemini Domino, quoniam bonus II. 106.	257.
Confitemini Domino, quoniam bonus III. 117.	279.
Confitemini Domino, quoniam bonus IV. 135.	316.
Conſerva me Domine. 15.	27.
Credidi, propter quod locutus ſum. 115.	277.
Cum invocarem. 4.	6.

D

De profundis clamavi. 129.	307.
Deus auribus noſtris audivimus. 43.	96.
Deus Deorum Dominus. 49.	111.
Deus Deus meus, ad te de luce. 62.	137.
Deus Deus meus reſpice in me. 21.	43.
Deus in adjutorium. 69.	157.
Deus in nomine tuo ſalvum me fac. 53.	119.
Deus judicium tuum regi da. 71.	161.
Deus laudem meam ne tacueris. 108.	263.
Deus miſereatur noſtri. 66.	145.
Deus noſter refugium, & virtus. 45.	102.
Deus qui ſimilis erit tibi. 82.	195.
Deus repuliſti nos. 59.	131.
Deus ſtetit in Synagoga. 81.	193.
Deus venerunt gentes. 78.	186.
Deus ultionum Dominus. 93.	221.
Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. 114.	276
Diligam Te Domine. 17.	31.
Dixi: cuſtodiam vias meas. 38.	85.
Dixit Dominus Domino meo. 109.	266.
Dixit injuſtus ut delinquat. 35.	78.
Dixit inſipiens in corde ſuo. 13.	24.
Dixit inſipiens in corde ſuo. 52.	118.
Domine clamavi ad te. 140.	327.
Domine Deus meus in Te. 7.	11.
Domine Deus ſalutis meae. 87.	205.
Domine Dominus noſter. 8.	13.
Domine exaudi orationem meam, & clamor. 101.	237.

Domi-

Domine, exaudi orationem meam, auribus. 142. Pag. 331.
Domine in virtute tua laetabitur Rex. 10. 27.
Domine ne in furore tuo. 6. 9.
Domine, ne in furore tuo. 37. 83.
Domine, non eſt exaltatum cor meum. 130. 309.
Domine, probaſti me. 138. 322.
Domine quid. 3. 4.
Domine quis habitabit. 14. 26.
Domine refugium factus es nobis. 89. 213.
Domini eſt Terra. 23. 48.
Dominus illuminatio mea. 26. 54.
Dominus regit me. 22. 47.
Dominus regnavit, decorem. 92. 220.
Dominus regnavit, exultet terra. 96. 228.
Dominus regnavit, iraſcantur populi. 98. 232.

E

Ecce nunc benedicite Dominum. 133. 323.
Ecce quam bonum. 132. 322.
Eripe me de inimicis meis. 58. 128.
Eripe me, Domine, ab homine malo. 139. 325.
Eructavit cor meum. 44. 99.
Exaltabo te, Deus meus rex. 144. 336.
Exaltabo te Domine. 29. 60.
Exaudiat Te Dominus. 19. 40.
Exaudi Deus deprecationem meam. 60. 133.
Exaudi Deus orationem meam, & ne. 54. 120.
Exaudi Deus orationem meam, cum. 63. 139.
Exaudi Domine juſtitiam meam. 16. 29.
Expectans expectavi Dominum. 39. 88.
Exultate Deo adjutori. 80. 191.
Exultate juſti in Domino. 32. 68.
Exurgat Deus. 67. 146.

F

Fundamenta ejus. 86. 203.

I

INclina Domine aurem tuam. 85. Pag. 201.
In convertendo Dominus. 125. 302.
In Domino confido. 10. 20.
In exitu Iſrael. 113. 273.
In te, Domine, ſperavi, non Confundar. 30. 62.
In te Domine ſperavi. 70. 158.
Jubilate Deo omnis terra, pſalmum. 65. 145.
Jubilate Deo omnis terra, ſervite. 99. 234.
Judica Domine nocentes me. 34. 74.
Judica me Deus, & diſcerne. 42. 95.
Judica me Domine, quoniam Ego. 25. 53.

L

LAetatus ſum in his, quae dicta. 121. 297.
Lauda, anima mea, Dominum. 145. 338.
Lauda Hieruſalem Dominum. 147. 341.
Laudate Dominum de Caelis. 148. 343.
Laudate Dominum in Sanctis Ejus. 150. 346.
Laudate Dominum omnes gentes. 116. 278.
Laudate Dominum, quoniam bonus. 146. 340.
Laudate nomen Domini. 134. 313.
Laudate pueri Dominum. 112. 271.
Levavi oculos meos in montes. 120. 295.

M

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis. 47. 106.
Memento, Domine, David. 131. 310.
Miſerere mei Deus, miſerere mei. 56. 125.
Miſerere mei Deus, quoniam. 55. 123.
Miſerere mei Deus, ſecundum magnam. 50. 114.
Miſericordiam, & Judicium. 100. 235.
Miſericordias Domini. 88. 207.

Niſi

N

Niſi Dominus aedificaverit domum. 126. *Pag.* 303.
Niſi quia Dominus erat in nobis. 123. 290.
Noli aemulari in malignantibus. 36. 80.
Nonne Deo ſubjecta erit. 61. 135.
Notus in Judaea Deus. 75. 173.

O

Omnes gentes plaudite manibus. 46. 104.

P

Paratum cor meum, Deus. 107. 260.

Q

Quam bonus Iſrael Deus. 72. 164.
Quam dilecta Tabernacula. 83. 197.
Quare fremuerunt Gentes. 2. 2.
Quemadmodum deſiderat cervus. 41. 93.
Qui confidunt in Domino. 124. 301.
Quid gloriaris in malitia. 51. 116.
Qui habitat. 90. 215.
Qui regis Iſrael. 79. 188.

S

Saepe expugnaverunt me. 128. 306.
Salvum me fac, Deus. 68. 153.
Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus. 11. 21.
Si vere utique juſtitiam. 57. 126.
Super flumina Babylonis. 136. 319.

T

TE decet hymnus. 64. Pag. 140.

V

VEnite, exultemus Domino. 94. 214.
Verba mea. 5. 7.
Voce mea ad Dominum. 76. 175.
Voce mea ad Dominum clamavi. 141. 329.
Uſquequo, Domine oblviſceris me. 12. 23.
Ut quid Deus repuliſti. 73. 169.

INDEX CANTICORUM.

1. MOyſi I. Cantemus Domino. Pag. 349.
2. Moyſi II. Audite Caeli. 353.
3. Annae. Exultavit cor meum. 360.
4. Iſaiae. Confitebor tibi Domine. 363.
5. Ezechiae. Ego dixi in dimidio. 364.
6. Trium Puerorum. Benedicite. 367.
7. Habachuc. Domine audivi auditionem tuam. 370.
8. Zachariae. Benedictus Dominus. 376.
9. Mariae Virginis. Magnificat. 378.
10. Simeonis. Nunc dimittis. 380.
11. Deborae. Qui ſponte obtuliſtis. 381.
12. Davidis. Conſidera Iſrael. 386.
13. Tobiae monita. Audi fili mi. 388.
14. Tobiae Canticum. Magnus es. 390.
15. Judith. Incipite Domino. 394.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 6. v. 2.	animas	animos
12. v. 13.	abductis	adductis
19. v. 16.	reſolvent	revolvent
20. v. 3.	cuncta valentibus	cuncta: valentibus
22. v. 5.	labia	labra
23. v. 9.	Conſilii	Conſili
28. v. 8.	trepipem	trepidem
28. v. 9.	laetitae	laetitiae
29. v. ultim.	munera	munere
30. v. 12.	fame	fauce
33. v. 14.	Eu rurſum	En rurſum
41. v. 2.	puto	puro
45. v. 22.	ſervae	ſerva o
46. v. 2.	vaſtas	vaſta
51. v. 7.	reddent	reddant
52 v. 20.	non mihi	neu mihi
66. v. 2.	ſidet	ſedet
81. v. 11.	quoſcunque	quaſcunque
97 v. 6.	Speremus	Spernemus
99. v. 1.	pectora	pectore
100. v. 5.	oſtende	extende
105. alla nota (c)	terrae nos	terrenos
106. v. 1.	averſa	everſa
109. v. 6.	devis veſtigis	deviis veſtigiis
112. v. 5.	munera	munere
115. v. 16.	noxa	noxae
117. v. 5.	vident	rident
118. v. 2.	ſcelere	ſcelera
130. v. 15.	vero	ſero
130. v. 16.	ſi denegetur	denegetur ſi
137. v. 3.	verſet	verſer
143. v. 2.	nova	novae
150. v. 19.	ducta	dura
150. v. 26.	Carmina	Carmine
160. v. 24.	exitum	exitium
172. v. 8.	Iraque	Irataque
182. v. 44.	Et cupida	Ut cupida
182. v. 45.	Immiſi	Immiſit
189. v. 8.	patiam reduce	patriam reduc
196. v. 15.	incubit	incumbit
215. v. 2.	valide	valido
226. v. 4.	dignis	dignus
235. v. 2.	Dum Tu	Cum Tu
239. v. 24.	Solyma	Solyme
256. v. 42.	Suerunt	ſuerunt

VA 1
1527325

Digitized by Google

161
a
4